

Ioannes Porterius Nivernas

‘Athamantis Furor’

Tragoedia
(1621)



Jan-Wilhelm Beck

Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg

Dezember 2008

Fabulae Argumentum

Semele, Cadmi filia et Bacchi mater, cum Iunonis dolo malo in perniciem et mortem suam fulmine Iovis ambusta incidisset, eius foetus nondum maturus, ex utero matris confestim avulsus Iovis foemori insutus est. hunc autem maturum et enatum Ino, Semeles soror, educandum suscepit; qua quidem educatione, Bacchum propter matrem Semelem, Iovis pellicem, exosa Iuno ita offensa fuit, ut cum Bacchum perdere non posset, nutricem Inonem perdere decreverit. interea, dum iram et odium suum coquit Iuno, Phryxum et Hellen privignos suos Athamantis ex Nephele prima coniuge liberos patriis finibus abegit Ino noverca. hanc rem et occasionem nacta Iuno, ut sibi et Athamanti ex Inone poenas sumeret, duas in Athamantem furias concitavit, quae miserum hominem ita irritaverunt et abalienarunt, ut Inonem occurrentem leaenam, filios vero Melicertem et Learchum leaenae catulos arbitratus, alterum Learchum trucidarit, matrem cum Melicerte confecturus, nisi arrepta fuga sese uterque ex iugo montis edito in mare praecipitassent.

Aliud Argumentum Tragoediae

Athamas, Aeoli filius, Thebanorum rex, post primas cum Nephele nuptias, ex qua Phryxum et Helen suscepit, secundas cum Inone, Cadmi filia, suo totiusque generis damno celebravit. haec enim novercali furens odio privignos suos Phryxum et Hellen qua minis, qua poenis ita dure et acerbe habuit, ut ipsi paterna domo relicta conscensoque ariete aureo ad Aetam regem in Colchidem transfretarint, non autem incolumes ambo; Helle siquidem de tergo arietis in mare delapsa fluctibusque absorpta, suum Helle-sponto cum vita nomen reliquit. hanc fugam clademque liberorum tam iniique tulit Athamas parens, ut de sanitate mentis piae immoderata ira et dolore dimotus, ne potius sanus et consultus, hanc ulciscendae coniugis viam conceperit, caedem scilicet Melicertis et Learchi liberorum, quos de Inone suscepit; cuius quidem atrocissimi consilii et coepti partem Learchi caede seu clava seu quovis alio telo adeptus, reliquam, nisi se Melicertes cum matre Inone in mare praecipites dedissent, pari strage confecisset.

Personae Tragoediae

Iuno

Athamas

Ino

Melicertes

Learchus

Hermantis

Hebas

Pheretes

Ephialtes

Cleomachus

Euriclus

Xanthe

Antiphila

Tithene

Furiae duae

Rex

Regina

Pueri

Vates

Ephoebus

Praefectus

Honorariae Puellae

Nutrix

<Chorus>

Actus primus <Scena prima>

Iuno

Iuno Ad hocne fatis libuit enasci Deam?
Ad hocne summi et uxor et soror Iovis
Ortus paternos praedico et propaginem
Coeli solique comparem domino Iovi?
Vt decoris olim, sortis et tantae memor, 5
Acerbiori Diva poenitentiae
Cruciata mentem taedio, desiderem
Authoritatis regiae nunquam prius
Mihi imminutam honoris observantiam?
Vt culta quondam, duriores nunc feram 10
Spreti dolores numinis? subsellii
Vt abacta ad imi sordidos gradus Deum
De plebe vili summa suspirem meis
Calcata pedibus aetheris fastigia?
Commune nobis fratre cum nostro Iove 15
Sceptrum requiram? defleam consortia
Regni torique perdita? o nimium meo
Gravis et acerba pectori sortis meae
Memoria! proh nimis pudenda insignia!
Honor inhonestus! titulus infamis! decus 20
Nimis indecorum, quo carere non licet
Sine clade tanta quoque non licet exui
Cum decore veteri! nunquid, o Divum sator,
Tibi comes adsum sede conspicua pari,
Vt, impudentis meta ludibrii, genus 25
Mortale pascam ludicro oblectamine?
Gravis est potentum subditos fastus premens,
Iura licet hoc dent, ordo naturae velit;
Et, subditorum cum male in dominos furit
Despectus insolens, leve supplicii genus 30
Et tollerandum reris? expulsam toro
Connubiali risit - o summum nefas! -
Cadmaea Semele Numinum dominam, tuam
Simul et sororem et coniugem; quin, si tuo
Gaudere dona nosset, aeternum toro 35
Viduata flerem repudium. siquidem libens,
Quicquid rogasset, consequi permiseras -
Quid, si rogasset connubia? nunquid modo

Coelo imperaret? nunquid? o probrum! tibi
Coniux adesset? quem locum vel quos toros 40
Iuno teneret? scilicet nullos; Iovis
Quis enim sorore post Iovem dignus? vides,
Nisi vetuissent fata, quo caecus Iovem
Amor impulisset? instat hoc idem nefas,
Nisi rursus obstant fata: nam nihil minus 45
Ino sororis territa exemplo, pares,
Si recipis, ad te sperat accessus; nothi
Hoc erit alumni pignus, haec merces erit
Bacchi enutriti, hinc et suum sperat genus
Coelo inserendum. nunquid aeternis micant 50
Sedes supernae luminibus, ut scortulis
Inserviant? num pervium solis iter
Coelo patebit, dabitur et solis nothis?
Quae dos nepotes et tuam prolem manet?
Nunquid nothorum residua et fastidium? 55
Legitima Divum serviat proles nothae?
Coeleste generi subsit humano genus?
O dedecus! pudenda plane infamia?
Et probra non te tanta, non clades movent?
At me movebunt; commovebo Tartara 60
Iove abnuente, ad vota compellam mea.
Cadmaea proles numen iratum improba
Rursum ingemiscet, sentiet nostram manum,
Inoque nostris ut soror Semele cadet
Aliquando technis; non tulit, qualem meo 65
Suasu rogarat, congredi Semele Iovem
Crebris micantem fulgetris et sulfure
Fulmineo opacum, sed metu exorto leves
Protervum in auras spiritum moriens dedit,
Sic dabit et Ino, viva nec saevi feret 70
Horrorem Averni. iam minarum plus satis,
Iandudum inultam coquere me rabiem piget:
Libet furentes concitare Erynnies,
His territatos impetu rabido instruam
Athamantis animos, ultor hic offensae erit, 75
Hostile nobis perdet et coelo genus.
Habet ipsa tellus antra Trophonii senis,
Impromptu ad umbras Ditis et tristes domos
Descensus hic est commodo compendio;
Libet iter agere: pergo, festino gradum. 80
Inde evocabo precibus ultrices Deas.
Non me pigebit, Numinum dominam licet,
Vel genibus etiam supplicem advolvi et mei
Vilia rogare mancipia fratris, suum

Quodcunque in hostem commode telum datur. 85
 Cur pudeat, hostes ulta quo fuerim modo?
 Hebes est et excors, quem pudor inultum facit.
 Vtcunque dabitur ultio, dabitur bene;
 Vindicta nulla charior. mecum licet
 Perdendus hostis esset, haud mihi parcerem. 90
 Hostem ruina vel mea obruere iuvat.

<Scena secunda>

Ino, Xanthe, Antiphila

Ino O vos propago misera! vos miserum genus!
 Ludibria sortis! gentium purgamina!
 Queis destinavit ante natales suos
 Seu Parca seu sors mole perpetua iugum 95
 Servile; vestri me quidem miseret mali!
 Me miseret, inquam! poena sed - miseri - minor,
 Quod saeviendi durior nescit modum
 Fortuna. suus est namque praescriptus malis
 Modus. perennes usus aerumnas levat, 100
 Hoc servitutis mitius collo iugum,
 Quod nulla fructu liberae sortis dies
 Concessit uti, durius longe quibus
 Foelicitatem liberae vitae excipit
 Servilis aerumna! nivibus suetus Geta 105
 Nec mitiorem Graeciae expertus Iovem
 Non hyemis atrum frigus et gelu tremit,
 Non fusca Mauri pellis et crispum caput
 Atraque recocti corpora Libis torridae
 Aestatis ignes fervidos arcent sibi, 110
 Sed imparatos quos gelu insueto ferit
 Post acriores solis accessus hyems,
 Post frigus, aestas. sunt graves tantum vices.
 Experta fateor; id queror, id ego lugeo.

Xanth. Regina, vanas perperam curas agis: 115
 Successus ille durus et durae vices,
 Cum laeva dextris sorte succedunt mala
 Et res secundas subita pernicies gravat;
 Contra expetendus, si quod adversum fuit
 Et triste, nobis prospera arridet vice. 120
 Quacunque tandem fausta sorte venerint,

- His est fruendum, haec fronte sunt hilari et manu
Capienda laeta; parte contingant mala
Quacunque, nusquam dura non esse haec valent.
Quid sit dolendum rebus haud video tuis, 125
Nil imminuta stat tibi sors regia.
- Ino Qua parte nostras vulnus hoc res urgeat,
Haud facile vobis percipi potest, licet
Prostaret oculis; usus hoc tantum docet.
Vobis videtur quicquid optandum, mihi 130
Hoc execrandum.
- Ant. num tibi, o Ino, grave
Servile pondus imperi? an gemitur tibi
Sub dignitate pressa libertas brevi?
- Ino Haud gemitur illud, nec mihi pondus grave 135
Regale mitrae; regias nam dedecet
Gestare mitras foeminam, tam debilem
Onus aggravaret verticem, illud tempora
Robustiora poscit audacis viri.
Nil me coercent vincula imperii, nec - heu -
Adempta gemitur illa libertas mihi. 140
- Ant. Athamasne coniux durior?
- Ino nusquam viro
Optatori contigisset nubere;
Si quid petendum foeminae, hoc foelix fruor.
- Xanth. Quid ergo gemitur rapta libertas tibi?
- Ino Haec gemitur, inquam, gemitur innuptas manens, 145
Quam nunc requiro, sola libertas.
- Ant. habes,
Quaecunque foelix consequi a viro queas;
Quid plura? nisi te castitatis poenitet
Forsan dicatae triplici nemorum Deae.
- Ino Cur poeniteret? cui dicata castitas, 150
Servatur ipsi.
- Xanth. quid gemas, haud assequi,
Nisi ipsa doceas, valeo.
- Ino nec fuerit opus.
- Xanth. Aures loquelis si quid indignas tuis
Tutamque reris non sat arcanis fidem,
Ne fare, sensus conditos animo tege. 155
- Ino Nec dubia fides est, nec quid arcani tego;
Sed nil iuvaret proditus vobis dolor.
- Ant. Suffocat intus pectore inclusus dolor,
Petulans furoris aestuantis impetus,
Nisi detur aditus, strangulat; cum proditur, 160
Tunc ponit ira, patitur aeternos vorax
Aestus Charibdis. furere nunquam desinunt

- Circum allatrantem impiam Scyllam canes,
 Quod impotenti pectore ocluso negat
 Viam furori. loquere, tum brevi sciet 165
 Animus quietem: verba moerorem levant.
- Ino Tollenda primum causa, tum facile malo
 Nostro levamen dabitur; haud intus latet
 Fomes doloris, nil mihi prodest loqui.
 Prodesset, eheu, si meis virgo procis 170
 Nusquam imperassem; tam breve imperium mihi
 Aeterna peperit servitia.
- Xanth. durum putas
 Charo subesse coniugi? hoc tantum doles?
- Ino Grave nunquid illud foeminae, dominos pati,
 Quibus imperare fas sibi ac aequum fuit? 175
- Xanth. Quos coniugavit vinculo pronuba pari
 Venus maritos foeminis, aequo licet
 Commune gestent onere coniugii iugum,
 Mari subesse foeminam voluit tamen
 Dominumque dulci ferre servitio virum. 180
 Illud molestum, quod iubent leges, putas?
 Quod imperat natura?
- Ino non durum mihi
 Viro subesse, sed piget plures pati
 Ac ferre dominos, cum viro ac domino Venus
 Copularit uni. servitus gravis haec mihi. 185
- Ant. Gravis illa sane; sed quibus tandem subes
 Dominisque pares? fare; num quenquam super
 Athamanta tellus novit Argolica ducem?
- Ino Thebana nullum terra, sed plures ego.
- Ant. Sed quos, profare?
- Ino quos Nephele genuit vaga, 190
 Phryxum et sororem, monstra naturae improba.
- Xanth. Ad quid parentum iura? summa authoritas?
 Regia potestas! cur doles iniurias,
 Quas iure possis quo libet ulcisci modo?
 Stultum est nocentes, cum licet male perdere, 195
 Tollerare inique. iure concessio utere.
- Ino Nescis, novercae nomen ut male audiat?
 Ipsas parentes blandula exuperent licet
 Cura ac amore foverintque pignora
 Aliena cultu, quo valent, tenerrimo, 200
 Credas; novercae nil tamen fuerint minus,
 Saevire quod si iure contigerit, feras
 Immanitate vicerint.
- Xanth. quid iudicet
 Rerum aestimator improbus, vulgus rude,

	Sollicita quaeris? quisquis ignarus fuit, Res damnat omnes, impotens dignoscere, Quid laude dignum. pronior loquacitas Plebis malignae linquit intactum nihil; Quacunque de re liberum est, licet sua Iudicia stultis ferre nec standum his tamen.	205 210
	Proinde fas sit obloqui populo, tibi Fasque esse agendum iure cogites: age, Intrepida poenas exige, hic nihil vetat; Fueris noverca vel parens, ulciscere.	
Ino	At facile non est grandiores plectere.	215
Xanth.	Si grandiores, viribus et armis age.	
Ino	Timenda patris ira, liberos amat.	
Xanth.	Fraude est agendum, fraude victos opprime.	
Ino	Suspecta matris odia prudentes cavent.	
Ant.	Quicquid cavebunt, odia non fugient tua, Tandem exulabunt, forsitan et maturius, Quam tu ipsa speres; si dolis nequeant tuis, Armandus in eos genitor, in pueros pater Exasperandus, aderit hic ultor tibi.	220
Ino	Dissimulo frustra; singula apperio tibi. Iam parta nobis ultio est, nil patre opus. Hos exulantes devii montes habent; Non me illud angit, potius - ast! - huius mali, Quo possit a me crimen averti dolo. Nam patris iras metuo.	225
Xanth.	perfacile id tibi est. Affinge totius rei ignorantiam, Apud parentem querere tibi natos graves Esse et molestos, corrigendos postula. Sic ultionis cuncta praeteritae cadet Suspicio, dum poenas futuras exiges: Abiisse credet non tuo dolo, at metu. Constans id aude, credulas dictis tuis Praebeat aures; foeminis summa in viros Imperia, mentem facilis ad preces tuas Questusque flectes. prome iam, facundiae Artisque quicquid in te inest; quas credulo Texas parenti, iam querelas cogites. Quae frons, quis oris deceat atque corporis Neglectus habitus, haud docenda. progredi Athamanta cernis? iam mihi videtur tibi Devictus, ut te fronte respirat; praei, Pede negligenti pigra salutem praeripe.	230 235 240 245
Ino	Fortunet o me Iuppiter adventu tuo.	

<Scena tertia>

<Ino>, Athamas, Pheretes, <postea Hebas>

Ath.	Votum secundum sydera ex animo tuum, Nostrisque Iuno faveat, ut cupio, toris.	250
	Non ipsa capiant astra, non quisquam virum, Non ipsa credas, inquam, et humana, ut reor, Mente assequaris uspiam, quae gaudia Addideris animo, quidve laetitiae labris Libata roseis oscula et amplexus dati	255
	Imis medullis fuderint; vix se capit, Vix haurit auras spiritu exhausto emicans Cor evolansque pectore. arride, precor, Idalia, nostris gaudiis, amoribus Congratulare, fomitem castum fove;	260
	Et adaucta per te grata luxuries tori Longam propaget sobole foelici domum. Nobilitet Ino regium Pelopis genus Athamante patre! Tantali vigeat genus!	265
	Quaterna proles stipitis dulces mei Crescant beati palmites! Niobe, tuam Exuperet alvum fertilis consors tori! Laetetur Ino prole, quae Thebas patrem Sequuta lege temperet, nusquam exteris	270
	Cessura sceptrum manibus, extinctum genus Reparante semper prole et absumptos patres! Quin tu vicissim mutua assensu pari Meditaris, Ino, gaudia et mentem excitas? Quin gratularis laeta? cur vultum solo Affixa tristem deiicis? quidnam coquis?	275
	Quae cura moestum pectus insolito et novo Torquens dolore tristibus suos rapit Genis honores atque purpureum decus Moerore foedat pallido? retege malum Malique causam; quid doles, saltem doce.	280
Ino	Nil triste novit pectus aut contrarium.	
Ath.	Quid ergo ovanti gaudia haud iungis tua Hilarique nutu frontis arrides mihi Domusque sorti prosperae?	
Ino	arridet mihi Rerumque tota sors secunda perplacet.	285

- Ath. Quis risus iste, cum rignentem turpibus
Crispata sulcis ora frontem contrahunt
Animusque laeta flebili vultu excipit?
- Ino Gestire flagrat animus, et cor emicans
Fervere secum tentat; ast labes nigra
Torpens in extis, sanguinem circum tepens
Pectus retardat et cor ignoto premit
Dolore, rapiens artubus suos focus
Simul et ruborem, qualis exanimis iacet,
Cum cor reliquit spiritus, imago necis.
- Ath. An, chara coniux, credis hac fraude et dolo
Cautam mariti posse mentem decipi?
Adulteratos irrita specie tegi
Speras dolores? aliquid, o Ino, tuum
Athamanta celas! coniugi tuo tegis
Arcana mentis! si tenax causam mali
Negare perstas nec brevi, quidnam grave
Penetrare cordis celat, exponis libens,
Mihi rea fies odii.
- Ino an ignotum tibi,
Imperia Superi quanta in humanos habent
Ignes suumque ut nos ad ingenium trahunt
Virtute caeca iubaris, affectus suos
Quascunque in horas imprimunt? cor inscium
Modo Iove laeto, protinus Marte effero,
Tum Venere blanda moxque Saturno sene
Atro, molesto, dispari motu alterant?
- Ath. Vt regnet in nos sydus austeri senis
Ac astra coeli caetera, haud quaquam latet;
Non tanta virtus, ut reluctantes trahant
Vexentque mentes sydera influxu suo.
Hoc ipsa praestant vere, ut impulsu levi
Ad id parata desuper vel gaudeant
Vel corda doleant promptius; quod si deest
Aliunde moeror, facile, quas suadent poli,
Acerbitates prospero eventu cadunt.
Proinde technas pone nec diutius
Causam doloris impetu coeli tege;
Pateat amicum pectus, arcanum exhibe
Nec pertinaci nostra turbari sinas
Negatione gaudia. appertus dolor
Causaque doloris explicati saucium
Gravabit animum lentius quam concitans
Versansque discors cura sollicitum caput.
Manet inquieta mentis anxietas, dies

	Noctesque crucians pectus ancipiti metu, Nusquam exuenda, si tuum retices malum.	330
Ino	Melius tacetur, quicquid explicitum nocet.	
Ath.	Peius tacetur, quicquid explicitum iuvat.	
Ino	Et quem iuvabunt verba, si nil me iuvant?	
Ath.	Me inquam; nec ullam, quandiu siles, sciam Requiem.	335
Ino	silere, quaeso, liceat.	
Ath.	quin loqui	
	Toties rogatam iubeo; quod tibi si minus Mea iussa prosunt, stat coactam quolibet Adigere modo.	
Ino	saevire prorsus nil iuvat: Libens profabor, nesciet cor gaudium	340
	Siccisque lumen palpebras; mens nesciet Quicquam quietis, quandiu triplicis feram Imperia domini, coniugem et natos duos.	
Ath.	Servire credis, quod virum Regem feras? Non famula coniux, sed viri consors sui	345
	Simili potitur sorte. connubium doles Et coniugale ius mihi tecum tori?	
Ino	Sim serva, sim coniux tua, hoc gratissimum.	
Ath.	Quid quereris ergo et coniugem dominum gemis?	
Ino	Non coniugem, sed liberos graves queror.	350
Ath.	Quid innocentum nesciae mentes mali Ac impotentes, noverint licet et velint, Peccare valeant? pectus, ah, timidum et iners Ac facile laedi, quod potest tam debilis Hostis gravare! si quid imprudentius	355
	Puerilis aetas egerit, correctio Prudentiorem reddet; in promptu tibi est, Vt vindicare libeat errorem. haud erit Impune, credas. sed quis hic querulus gemit? Hebanta novi, solitus hic Phryxi comes.	360
Heb.	Heu, quanta vestris auribus titulo mala Decorata honesto suave mortales sonant Oculosque falsa fascinant imagine! Quam male parentis nomen, o fallax nimis Natura, noster error ascripsit tibi!	365
	An te novercae peius est aliquid furor Odiumque peius, tetrius an Syren malum? Quae delicatis nos inescatos cibus Acerbitatum felle perpetuo tenes Saeva cruciandos, quantulumcunque improba	370
	Largiris homini, quot malis cumulas bonum? O chariora si qua sunt vitae bona!	

- Ath. Huc age, quis Heba, quis gemitus? et quis dolor?
Vbi Phryxus?
- Heb. heu me! Phryxus hoc, quod nesciam,
Vbi sit, doletur, hoc idem gemitur mihi. 375
- Ath. Qua miser ab ipso sorte divulsus comes
Raptum requiris? nunquid in silvis vagus
Aut saltuosus montium implicitus rubis,
Quem teneat ipse dissitus, nescis, locum?
- Heb. Nil animus ipsos iamdiu errores timet. 380
- Ath. Per iuga nivosi, nunquid, Ismeni feras
Dum concitato lassat alipede, times,
Ne praeda fiat canibus Acteon novus?
Quascunque aberrans teneat oras, hunc sua
Praeda potitum, vel brevi, spera affore. 385
- Heb. Notus Cithaeron, nota Taygeti iuga,
Otrisque Elisque, notus et canibus suis.
Vtinam iuberent Numina hos tantum mihi
Timere casus, causa nec metus mei
Vera foret et nota, premeretque devio 390
Pede tortuosos montium calles puer!
Brevi reflexo perstrepens cornu nemus
Phryxum sonaret, rupiumque concava
Icta revoluto tympani bombo mihi
Phryxum cierent; ipse subtili ducem 395
Sequutus aure sonum, expeditus inviis
Pernix adesset montibus, socio latus
Cinctus molosso.
- Ath. an natus occumbit neci,
Aut fracta morbo membra nequicquam valent
Pectore abeuntem spiritum compescere? 400
- Heb. Vivatne natus occidatne, nescio.
- Ath. Quis habitus ergo? quasve sedes incolit?
- Heb. Vitae et salutis habitus incertus, locum
Quem teneat exul, haud satis notum mihi.
- Ath. Exul! quid haec vox?
- Heb. quisquis iniussus solo 405
Furtim profugit patrio subito gradu,
Exul vocandus.
- Ath. exul est, quisquis suo
Quaerens latebras sceleri, in ignotas caput
Exportat oras. quod scelus Phryxum meis
Finibus abegit?
- Heb. quomodo tandem exulat, 410
An sons an insons, non liquet; verum liquet
Alia per undas regna natali solo
Quaesisse spreto.

- Ath. pro! per undas! quo duce?
 Heb. Quo quisquis acti conscium et testem fugit.
 Ath. Quo comite?
 Heb. germana.
 Ath. parentem perditum! 415
 Suprane nullus adfuit fugae comes?
 Heb. Et quem relicto potuit Hebante ad sua
 Deligere comitem coepta?
 Ath. quae tandem fuit
 Potuitve amoris esse tanti avulsio?
 Heb. Me consequentem consimili et animo et gradu 420
 Moras adegit agere et in vestigia
 Retro reflecti; denegantem mordicus
 Per sancta amoris vincula exorat, suis
 Postremum et exiguum illud optatis darem.
 Ath. Sed quas in oras, fare, direxit gradum? 425
 Heb. Quis dicat illud? quas minus sibi destinat,
 Vt insequentum sedulam, quisquis fugit,
 Sagacitatem decipiat, init vias.
 Ni me fefellit, qua Cythaeron Atticis
 Dirimit Hiantas quave surgentis iubar 430
 Titanis ad nos inter aërios iugi
 Bicornis apices summa Pelopeae face
 Accendit arcis, Colchici fines soli
 Penetravit exul.
 Ath. inter amplexus pios
 Cum te valere iussit extremum, nihil 435
 Amico amicum pectus apperuit, patris
 Prorsus recessit immemor et charae domus?
 Heb. Nil te latebo, cuncta proponam ordine.
 Nuper tepentis rosidus noctis liquor
 Fusus per herbas, gramen enascens levi 440
 Nive vestiebat, qualis argento micat
 Albata puro tabula vel vitreum maris
 Aequor silentis solis ad primas faces:
 Hoc destinatae tempus optatum fugae
 Ratus, inquietum tollit ex lecto caput 445
 Ac, per fenestras conspicatus candidi
 Serenitatem temporis, me protinus
 Conclamat; adsum, vix caput et oculos gravi
 Somno expeditus, veste discincta fluens
 Demiror hominis insolitam vigilantiam. 450
 Tum quaero, quid me tam repentinus velit.
 Alacritatis ille fingens impetum,
 'Est animus', inquit, 'expatiando torpidam
 Recreare mentem. propere germanam advoca,

Helle adsit incomitata.' proficiscor citus 455
 Hellenque mecum adduco; custodes iubet
 Foribus apertis exitum Phryxus dare,
 Qua lucus aedes densus obnubit tuas,
 Penetrare cuius divites Pelopis avi
 Concludit hortos; hic opus varium loci 460
 Oculo pererrans inquieto, vix bene
 Intuitus artem, 'quicquid insudet labor
 Excogitetque cura mortalis, tamen
 Nusquam assequetur', inquit, 'incultum et rude
 Naturae opus, nativus agrorum viror, 465
 Per aperta patuli liber aspectus soli
 Nescio quid animo melius arridet meo.'
 'Quin', inquit Helle, 'frueris optatis. age,
 Illuc vocatus gradere, molimur viam
 Auraque ruris fruimur; at non ut prius 470
 Metimur arva torpido, at celeri pede,
 Quiesque nulla datur, priusquam viribus
 Fameque viaque corpus exhaustum cadat.'
 Stupeo; viamque conqueri primum pudet.
 Iam Phoebus axem dividens nostrum, diem 475
 Medium notabat; Phryxus impatiens famis
 Suadet quietem. forte non procul mihi
 Conspecta pomus, verticem incurvans solo
 Foecunditate frugis; huc me penduli
 Ridens ocellis advocat pomi rubor. 480
 Placuit palato pabulum, hoc omnes simul
 Male saevientem ventris expulimus famem;
 Tunc ego relictos mente pervolvens lares
 Reditum parabam, Phryxus at contra viam
 Artusque fessos conquerens, 'in proximum 485
 Pergamus', inquit, 'oppidum'. per devia
 Dudum vagatis obvius nemo datus
 Domusque nulla. iam tenebrae montibus
 Altis ruentes vallibus noctem dabant;
 Nec cura quenquam tangit hospitii, iugo 490
 Nobis sub imo consitus buxis patet
 Antri recessus. Phryxus, 'o comites', ait,
 'Illuc vocamur, noctis haec statio datur'.
 Antrum subimus, fessa duro sternimus
 In lapide membra, corripit sensim sopor, 495
 Nobis nec usquam mollius, crudo licet
 Ex silice strato, optata dormitur quies.
 Iam dux diei Phosphorus noctem sinens
 Properabat ortus, cum relecti tantula
 Sensus quiete mollitiem soliti tori 500

Vndique requirunt, membra volvuntur solo;
 Nostrique casus immemor et nondum satis
 Somno solutus saxa palpans horreo
 Immurmuransque subitus assideo. vigil
 Me Phryxus ad me revocat et sedat metum; 505
 Tum multa vigiles fundimus, et inter patrem
 Saepe ingemiscit Phryxus, at coepti inscium
 Nil me ipsa terrent, sic tenebras ludimus.
 Vt sol reduxit lumen, e specu pedem
 Efferimus, ore Phryxus, heu, durum vale 510
 Premens et alto corde suspirans, iugi
 Genas lavabat flumine. eludens virum,
 'Iam commoveris tantulum a charo patre
 Distractus', aio? subitus in collum ruens
 Vix potuit illud rumpere, aeternum mihi 515
 Vale, 'o vale Heba'; tum viam rapuit, sequor
 Pene exanimatus. ipse, 'nequicquam comes
 Me sequeris', inquit, 'iam relegere hesternos gradus.
 Hoc impetretur ultimum, si quid me amas.'
 Regredior ergo fractus enixa prece. 520
 Ath. Immane monstrum! tigridis rabiem ferae
 Dicam an novercae, qua genus periit meum?
 Siccine, dolosa, quas habes, poenas rogas?
 Dii te! sed heu, quid perperam male imprecor,
 Frustra ingemisco; non enim modo vacat 525
 Deflere casus. aderit exundantius
 Acerbiusque, cum licebit plangere.
 Nunc expedire convenit, qui de fuga
 Quascunque in oras sedulo inquirant. precor,
 I nunc, Pherete praepes; i, supera notos 530
 Pernicitate, liberos patri refer.
 Pher. Nulla mora. si quis inter humanos locus
 Phryxum et sororem continet, gressus brevi
 Impressa nostri sentiet vestigia.
 Nisi Phryxus umbras inter infernas latet, 535
 Mihi retegetur; vel licet Theseus novus
 Inter tyrannos Stygis, Avernales specus
 Et carcer habitet, hunc ad auras eveham
 Ipsas et alter Hercules reddam tibi.

Chorus

Ch.	Multa circumstant mala, qui cruentos Induit Martis furibundus aestus; Nam per hostiles cuneos retorto Fune seu crudos iaculatur arcus Destinans umbris inimica castra, Ipse quas una iubet ire dextra	540 545
	In procos paucas pharetrae sagittas, Mille dum plagis patet undequaque, Sentit o quanta sibi spicolurum Grandine reddi? Seu sua miles statione motus Ordines liber ruit in solutos Perque turbatas acie cohortes Obvios mixtus petit asper hostes, Dum latus stricto petit ense fusi Aemuli, post se sua terga quantis Hostium telis aperit sequentum, Quam rapit vitam propria paratus Pendere vita?	550 555
	Aeneus seu, quos aries in urbem Moenibus ruptis a littus repandit, Liberos pugnat sibi comparare Ense propulsans clypeoque civem, Sive sublatis per iniqua scalis Arduum muri dubio cacumen Tentat ascensu, generosus armis Seu modo quovis alio meretur Prodigus vitae propriique largus Sanguinis, quotnam caput atque quantis Casibus offert?	560 565
	Haec tamen nusquam sibi poenitenda Tollerans, multis lacerata membra Murcidus plagis gradiens superbit, Quamque pugnando comites honestam Per solum strati subiere mortem, Invidet, quamvis decus assequutus Grandius, binum meritis tropaeum Hoste devicto propriamque vitam Tutus, ex belli gravibus periculis Cive recepto.	570 575
	Inter haec crudi fera damna belli Illud est unum nece peius omni, Illud et, quamvis animos dolere	580

Nescios gestet, dolet ingemitque
 Miles ignavum male nactus hostem,
 Nobili cui sors acie potito 585
 Iura permisit dare subiugatis;
 Nam quibus parcit generosa fortis
 Militis virtus satiata strato
 Hoste, castrensis rata stare viva
 Tandiu laudis monimenta, victus 590
 Quandiu vita potietur hostis,
 Calcat hos victor timidus, quietae
 Nescius mentis, quoad asper omnem
 Fregerit hostem.
 Mitius tigris rabiem subactos 595
 In greges promit, pecus in rebelle
 Blandius diros leo stringit ungues,
 Parcius demum fera saevit omnis,
 Quam timor socors animi remissi;
 Nempe proposto sibi sola virtus 600
 Aemulo gaudet, probat expetitque,
 Cum quibus certet, fovet et tuetur,
 Impetus tantum nocuos retundens.
 Scilicet solum sapit haec amorem,
 Ac regi solo potis est amore; 605
 At timor consors odii tenaxque
 Lucis aspectum fugiens nec ullis
 Inferi rebus cupiens, honoris
 Non sequax, laudis nec amicus, acer
 Osor offensae tamen atque vindex, 610
 Nil nisi saevum sapit et cruentum.
 Quanta crux ergo miseris ferenda,
 Quos iners odit mulier, nocendi
 Iure praesidens, satiata nunquam.
 Debilis quamvis rabies veneno 615
 Cedat exhausto neque, quid supersit,
 Hoste sublato sua quo subinde
 Tela displaudat furor irrepletus,
 Non tamen poenae satis arbitratur,
 Credit haud quaquam satis ultionis; 620
 Quaeque vesanae monimenta stragis
 Conspicit, caecus sua nescit esse,
 At ferus perstat, quoad acriorem
 Taedeat esse.
 Sic novercali petulans furore 625
 Saevit in natos Athamantis Ino;
 Illa sic odit, furit, aestuatur,
 Sed suo tandem mediocritatis

Terminos sensit superasse damno.
Nempe ad authorem nimius furoris
Impetus exit.

630

Actus secundus **<Scena prima>**

Ino, Xanthe, Antiphila

- Ino Experta tandem fateor insanos prius
 Non sapere, quam cogantur, at sero nimis
 Incogitati clade funesta mali.
 Quid nosse iam nunc, misera, res meas iuvat, 635
 Cum terminatis exitu infando utilem
 Praecluserit omnis sors mala consilii viam.
 Quod impotenti mente non factum tuli,
 Id poenitenti corde perfectum fero.
 Quos machinando contuli exitio dolos 640
 Artesque, easdem restituendae perperam
 Meditor saluti; quam levis mortalium
 In vitia mens est, qui nec infensos sibi
 Opprimere tentant! liberos, Athama, tuos
 Odi nec ullis ad odium causis tamen 645
 Arsisse memini; crevit at sensim furor
 Livoris, ex quo, nomen et titulum fui
 Novercae adepta, nos ad hoc necessitas
 Fatalis aliqua vel reluctantes trahit.
- Xanth. Iovis propago, splendor Aeoliae domus, 650
 Regina, per te liceat hoc unum loqui:
 Non est novercae nomen aut titulus tibi
 Fatalis, at parentis in proprios amor
 Foetus benignus aemulos nequens pati,
 Renuit futurum dividi gentis decus 655
 Aliosque secum cedere haeredes opum.
 Hinc tacita crescunt odia matris pectori
 Nec cogitantis, dumque blanditur suis,
 Odit alienos. non bene tractatur manu
 Gestamen unum duplici, nec infula 660
 Binos coronat vertices, fratrum licet;
 Non est monarcha, qui sibi novit parem.
 Nec caruit usquam, filios quae nutriit
 Domus una plures, lite, dissidiis, nece;
 Nec caruit aether, Iuppiter patrem expulit. 665
 Annon, secundo quos tulit natos toro,
 Videbit una dote contentos domus?
 Nusquam absque caede, pereat alter ab altero
 Necesse. nunquid non parens tantum nefas

	Avertet a se? nunquid incolumes suos, Vitae ac honori dum potest, tuebitur? Tutata natos mater es, quis hoc vetet? Nil aliud a te perpetratum: quid doles? Servata per te pignora ac tuum caput?	670
Ino	Non haec, sed - heu me! - promptiores in mea Venisse Superos vota.	675
Ant.	quin si serius, Foret hoc delendum, chariusque Numinis Graviore damno tarditatem solveres, Nisi forte credis praestitisse liberos Has luere poenas.	
Ino	absit hoc omen. sed heu! Velim aequa natis atque privignis forent.	680
Ant.	Vel si supernus omnium rex Iuppiter Iuberet, impossibile nihilominus puta.	
Ino	Possibile vel non, hoc tamen libens velim.	
Ant.	Quaeso, quid optes, cogita; nam blandior Dum tu precaris laeta privignis, tuae Soboli imprecaris tristia. haec animo expue Infesta natis studia, laetitiam indue, Quod tibi tuisque parcitum; alterutros enim Ea sors manebat.	685
Ino	maneant utrosque anxius. Timet amor intus matris, et pectus meum Pavore torquet.	690
Xanth.	aemulus et hostis deest, Quod erat timendum. quid times?	
Ino	parens adest, Quem timeo.	
Xanth.	nunquid poterit in proprios parens Ferus esse natos?	
Ino	nonne, quos animos ego Induere potui, poterit?	695
Xanth.	an patrem exuet?	
Ino	Non, sed perosae coniugis ultorem induet.	
Ant.	Non caedet ipse natos.	
Ino	non suos, verum meos.	
Ant.	Suscepit ex te.	
Ino	sed secundis nuptiis.	
Xanth.	Quid tum? minusne genitor?	
Ino	affectus minor.	700
Ant.	Vnde haec?	
Ino	amoris quicquid eximii fuit, Rapuere, primo quos Nepheles habuit toro.	
Ant.	Non respuet.	

- Ino at occidet atrox, dummodo
Me fuerit ultus et scelus scelere pari
Nostrum expiarit.
- Xanth. expiare nominas, 705
Cruor cruori, cum neci nex additur
Fraterque caesus fratre pro caeso cadit?
- Ino Sic assolet gens ipsa proavo Tantalo
Edocta.
- Ant. mores patris haud semper puer
Sequitur.
- Ino in omnes abiit haeredes ferus 710
Mos ille.
- Xanth. flectet forte patrem atrocitas.
- Ino Quicquid cruentum fuerat ac atrox, frequens
Lenivit usus.
- Xanth. scelere tanto pollui
Forte erubescet.
- Ino hoc decus domesticum
Et gente dignum facinus.
- Ant. ah, tantum nefas 715
Ergo in propinquo est?
- Ino iam mihi spectaculo
Stupere in ipso videor.
- Ant. et praesens licet
Adstaret oculis, nec remittendus tamen
Esset animus, nec terga vertenda improbae
Sorti, sed illud, quod tibi favet unicum, 720
Non negligendum. praevideatur imminens
Ruina, sano consilio eundum obviam:
Eripere natos convenit ab oculis patris,
Donec quiescat mitigatus impetus.
- Ino Bene admones, sed serius; tutos enim 725
Habet ipse genitor diligenti milite
Et in aede clausos.
- Xanth. est tamen tantum scelus
Quacunq; tandem fraude, si fieri potest,
Cautè occupandum, cassa si virtus hebet
Humana, non divina.
- Ino num credis Deos, 730
Quos dubia tentat perfidae mentis fides
Cassis virorum saepe nequicquam dolis
Et arte lusa, adesse perfunctoriis
Sine spe precibus? surdescit extremum bonus
Despectus ante Iuppiter.
- Ant. precibus tuis 735
Surdescat, esto; peius an quicquam tibi

Contingat inde? crevit in cumulum nefas,
 Nil iam timendum; rebus extremis via
 Sprenenda nulla est, nil iam inausum, nil grave,
 Charum sacrumque, cum iubet necessitas. 740

An parcis operae? nonne inanes perperam
 Levesque in auras mittere loquelas times?
 Si renuit aether sponte, vi ac dira prece
 Poterit coactus in tuam converti opem.

Cleomachus, ecce, commode coeptis adest: 745

Huic notus aliquis arte Thessalica potens,
 Qui regis iram leniat et omnis notam
 Offensionis toxico mente eruat
 Oblivioso memoriamque liberum
 Athamantis animo detrahat.

Ino quisquis semel 750

Mortifera lethes pocula immemoris bibit
 Exutus hominem, quicquid humanae prius
 Memoria curae textit, id simul exuit
 Nudamque ad umbras umbra mentem devehit;
 Sic facile regis ira, sic prolis memor 755
 Animus peribit.

<Scena secunda>

Ino, Xanthe, Antiphila, Cleomachus, Ephialtes,
 <postea Euriclus>

Cleo. pereat hic in me prius,
 Quo continetur, spiritus, vivax calor,
 Quam subeat animum tam nefandi perdita
 Sceleris voluntas.

Ino oderimque huiusmodi
 Peiora morbo remedia.

Cleo. expertus loquor, 760
 Non arte quicquam tutius, nil certius:
 Si quid timendum cernis, expositus rei
 Modus ipse vanos tollet ex animo metus.
 Propere petendus artifex, quem consulas.

Ino Non fuerit aliud quippiam votis meis 765
 Secundius. sed ecce, praepes advolat
 Huc aliquis ad nos; Euryclus sane est. manum,

Dii, saevientem temperetis! quid refers?
Athamasne subito perditus fato iacet?

Acurrrens.

- Eur. Stat rex, sed - heu me! - vix satis compos sui, 770
Vix evolantem taedio mentem tenens.
Concussus animo fertur inconstans domus
Partes in omnes, nullus hunc usquam locus
Retinet quietum, sed modo huc, illuc modo
Mobilis oberrat, nescius quo se ferat; 775
Quacunque aperti liberos cursus lares
Et quo repandunt, proruit caeco gradu,
Saepius easdem calce remeanti, terens
Metiensque sedes, non datur pedibus quies.
Hac prorsus una parte non torpens neque 780
Quietus Athamas, caetera immotus iacet
Nullaque praeter indicat vitam nota.
Brachia solutis laxa subsidunt toris;
Namque exulante spiritu in praecordia
Coire nervus tardus in motus suos 785
Summis deorsum pendula ex humeris suo
Applicita trunco proiicit: nullus decor
Colorque fronti, marcidis non est genis
Nisi mortis horror pallidus; vertex gravis
Languente cervice obvolutos palpebris 790
Oculos ad imum retinet abiectos solum,
Lucis inimicos et poli, nisi cum redux.
Post spatia sensus multa moeroris graves
Causas revolvens liberos animo refert
Casu nefando perditos, tum languida 795
Sursum revolvens lumina ad superas domos,
Taciturna solvit ora querulo carmine
Largasque fundens lachrymas, vix questibus
Titubante ruptos frangit hos lingua sonos:
'Periere nati! Phryxus, heu, periit meus!' 800
- Ino Quid aulicorum turma? quid domesticus
Frequens minister ac puer lateris comes?
Nullosque domini tangit afflicti dolor?
Solamen ullum nescit inter tot viros
Lugendus Athamas?
- Eur. hos habet gelidus stupor, 805
Tacitoque luctum regis intuitu pavent;
Taciturna nullo personat vocis sono,
Sed tota specie flebili luget domus.
- Ino Vbi nati? an illos tangit afflictus parens?

- Eur. Iuvenile prolis debile et tenerum, malis
Non assuetum, patris ad luctus novos
Semianime pectus deficit, vix languidum
Moerore ducens spiritum et vitam hauriens;
Denique per omnem lugubris passim situs
Oberrat aulam, nil nisi mortis pavor. 810
815
- Ino Hinc coniugalis me vocat pietas. age,
Exequere fida mente, quicquid iusserit
Carminibus ille Mopsus aethereis potens.
Curabo Divis hostias et munera
Propitia votis, thure succendam focos 820
Arasque sacro sanguine aspersas prece
Cumulabo multa, pergo solari virum.
- Eph. Quis assequatur mente, quis fuerit status
Securus inter sortis incertas vices?
Pax tanta nusquam viguit et nusquam scelus 825
Adeo vacavit; odia, bella, sanguinem,
Caedem, neces iam Pelopis oblita est domus.
Sine marte populos alta tutatur quies;
Pax summa regnat, sortis inimicae minas
Despectat alte Theba supremum tenens 830
Foelicitatis verticem, inter res tamen
Iacet secundas perdita.
- Cleo. illuc evehit
Fortuna honoris ac opum indulgentior,
Quoscunque casu provolutos aspero
Proculcat. utinam non foret sic prospera 835
Nec adeo blanda, non foret sic imminens
Ruina gentis integra!
- Eph. quid - heu me! - viris
Tuto expetendum fuerit? an martis furor?
- Cleo. Optandus idem patriae non noxius.
- Eph. Quid bella noceant, urbium excidia docent. 840
- Cleo. Excidia et ipsa, quid quies noceat, docent.
- Eph. Quae sibi repugnant, iungis effectu pari.
- Cleo. Quae sibi cohaerent una, longe dividis.
- Eph. Bellum quiesque nesciunt similes moras.
- Cleo. Moras easdem noverint vel non, tamen 845
Excidia bellum, bella progenerat quies.
- Eph. Nunquam vigerent bella, si foret quies.
- Cleo. Nunquam vigerent bella, ni foret quies.
- Eph. Cum pax quiescit, furere tum Mars desinit.
- Cleo. Cum pax quiescit, furere tum Mars incipit. 850
- Eph. Portenta memoras.
- Cleo. vera nil minus tamen.

- Eph. At praeter usum, praeter humanam fidem
Praeterque sensum.
- Cleo. sensus ac usus docet,
Otia quiesque quanta sint regnis lues;
Pacemque iamnum Tantali luget domus. 855
Est aliqua rebus conferens lis, qua sine
Quo vita vegetat, conditus praecordiis
Nativus imis intus humani vigor
Humoris hyemem temperans ac torpidum
Rigore amico leniter urgens ad sua 860
Officia corpus, qualis Aethneae vorax
Fornacis ardor, dum favillis deficit
Externus humor intimi fomes foci
Nec hostis, in quem saeviat, praesto datur.
Namque otiari nescius hic vivax furor, 865
Cui bella vitam suppetunt, mortem quies,
In se reflectit impetum et, domesticos
Populatus ignes, vi sua extinctus cadit;
Sic ipse, quo res principum late vigent
Florentque regna, martius fervor truci 870
Ardore mentes militum accendens, nisi
Satiatus atram sanguine adverso sitim,
Alio furorem torqueat in hostes suum
Sibique parcat, saeviens in exteros
Pacis inimicus ipse rixatur sibi, 875
Sibi repugnat, bella secum concitat
Ac, cuncta dissidiis serens, in se suam
Convertit iram, spiculum in praecordia
Male concitatus induit, per se perit.
Sic temperavit providae mentis labor, 880
Quod rerum in orbe multiplex spectas opus,
Inimica secum vinculo nectens pari
Simulque miscens, quae sibi repugnant.
- Eph. tua
Satis patescit mens mihi et plane liquet;
Sed quid opus armis, quid tumultu convenit 885
Temerare pacem, provocatis hostibus
Martis furores in suum laccessere
Damnnum ac labore petere perniciem gravi?
Si quod cruenta martis anxietas dare
Vix tuta possit, illud immunis metu 890
Pax largiatur.
- Cleo. pluribus iam non vacat
Petitiones solvere, incassum diem
Volvimus, et aeger nil levatur interim
Athamantis animus; oneris admissi fides

Solvenda, consulendus Hermantis: meos
Iam sequere gressus, progredi propere libet. 895

<Scena tertia>

Cleomachus, Ephialtes, Hermantis

- Eph. Pro quam secundos tempus occursus dedit!
Perficiat utinam coepta concursu pari
Nec faciat omen irritum mundi arbiter!
Optatus, Hermantis, ades.
- Herm. et cuinam rei? 900
- Cleo. Tibi supernus si quid animantum pater
Hominumque motus temperans Phoebus dedit,
Coelo evocatam posse vim deducere,
Qua varia fluctus luna Neptuni ciet,
Qua concitatos temperat, qua fructibus 905
Foecundat agros quaque dominantur poli
Corporibus imis, regis ac omnis domus
In studia opemque concites hanc impiger.
- Herm. Quis me! quis, inquam, tam repente perculit
Adeo sinister Tantali casus domum? 910
Regemque turbat?
- Eph. periit enascens domus
Regni que columen, cui labans senio pater
Statuerat inniti atque succumbens caput
Rerum et coronae ponderi reponere.
- Herm. Phryxusne?
- Eph. Phryxus.
- Herm. pro malum! quonam exitu? 915
- Cleo. Non plura licuit inter abruptos patris
Rescire questus; rem scies tunc integram,
Remedia cum rex noverit.
- Herm. cuncta intuens
Phoebus negatis nescit auxilium malis.
Quae sit doloris causa, quod morbi genus, 920
Expone; tum levamen aeger sentiet:
Phoebum evocabo desuper, nunquam mihi
Antehac rebellem nec mea in studia pigrum.
- Eph. Conceptus animo moeror infesta lue
Atroque languens opprimit cor taedio, 925
Non esca curae est, nulla captatur quies,

Vix ipse quenquam novit ignotus sibi
 Atque, potiori parte iam captus sui,
 Orco cadaver destinatum negligit.

Herm. Nil aliud urget quippiam?

Eph. prorsus nihil. 930

Herm. O simplices ac decipi faciles viros!

Heu, quo malorum corruunt capti inscio
 Errore sensus ac boni ignorantia!

Non nosse tanti penditur; pro si bona
 Censenda scirent, nulla non item mala! 935

Nam varia seu sors rebus humanis preest

Interminatos exitu subito ferens

Sine lege casus, seu statutos destinans

Fatum futuris ordines, sententia

Exequitur in nos quicquid aeterna ratum; 940

Seu dissoluto liber arbitrio Iovis

Nutus superni temperat sortes virum

Decreta fati nesciens, seu libera

Quacunque tandem sorte contingunt bona:

Nisi quibus ipsa visa sunt, nunquam tamen 945

Bona iudicantur, nomen et titulum boni

Partitur ipse sensus et studiis decus

Nostris secundans exterum; tua me movent

Laeduntque, quae te forte delectant ioca.

Quae sequeris, ipse fugio; quae fugis, sequor. 950

Assuetus undis nauta, non timidus pavet,

Quas continente tutus ac clausus domo

Pavidus tumentes horret expositas maris

Civis procellas. miles in caedem suam

Martis paratos laetus aspectat globos 955

Lituosque laudat et necem hortantes tubas,

Quas timidus odit institor; quem praedicas

Laudasque martem, hunc improbo, damno, execror.

Hunc esse reris optimum regni bonum,

Ego esse contra pessimum regni malum; 960

Vt quisque sentit, praevia specie boni

Malive captus aut bene aut casus male

Detorquet omnes, sola res opinio

Diiudicat, sed varia. pro si liberos

Athamantis animus, quos modo luget, suum 965

Regnique praesensisset exitium fore

Aut imbuisset quispiam hac mentem fide

Tristem antevertens cladis huius nuncium,

Quos fert iniqua mente, laeto perditos

Gauderet animo. nullus hac moestum via 970

Tentavit animum?

Eph.	nullus.	
Herm.	hinc primum mihi	
	Placet inchoandum, cautus alliciam virum	
	Dictisque moesta temperabo taedia.	
Cleo.	Praeripuit aures nimius oclusas dolor,	
	Dubiumque, solus an supersit corpore	975
	Integer in omni sensus, excessit fere	
	Vita ipsa totis artubus, vix se movet,	
	Alienus a se vix tenet se vivere;	
	Remedia morbus superat humana, altius	
	Cito expetenda.	
Herm.	commovebo sydera,	980
	Coelum excitabo carmine et sacro sono;	
	Nullum medelae deerit herbarum genus,	
	Finemque moesto, vita si praesens adhuc	
	Concedit, animo nostra dabit industria.	

Chorus

Ch.	Seu tua constent vera, Prometheus,	985
	Furta, supernis cum flamma globis	
	Excepta graves figmenti artus	
	Atque humanam pistum in formam	
	Caenum immobile sursum erexit	
	Ac, divina flaminis aura	990
	Phoebi afflatum, dedit in motus	
	Pronum flecti, quoque iuberet	
	Impetus, illuc sponte meare;	
	Sive haec contra facili mendax	
	Falso fabula populo iactet	995
	Maleque imponat, quo data membri	
	Vita humanis, illud minimum	
	Aciem nostri fugiens oculi	
	Sensusque latens alios corporis,	
	Sine mole omnem superans molem,	1000
	Aliquam solis scintillam esse;	
	Seu mens aliud quidlibet extans	
	Alios quosvis noverit ortus,	
	Nihil abiectum, nihil est humile,	
	Sed sincero sanctoque procul	1005
	De fonte fluens, aliquid sanctum	
	Ac sincerum est, maculae impatiens	
	Sordisque fugax. etenim patrii	

Splendoris armans, quicquid contra
 In prava furens steterit motus, 1010
 Quicquid contra caeca libido
 Ac vesanus male consulti
 Impetus animi suaserit, attamen
 Certat inustas mens a se mali
 Pellere maculas, pondus iniquum 1015
 Excutit et, quae peccata libens
 Amplexa fuit, servata licet
 Tempore longo, tandem respuit
 Ac, quod amavit, scelus odit suum.
 Penitus foelix haec aversio - 1020
 Matura modo! -, cum spes aliqua
 Ad meliorem superest frugem
 Ac, deterius quod factum olim,
 Quasi non factum cum licet esse.
 O si tanti gratia doni 1025
 Foret, o Ino, concessa tibi!
 Iam non animus sibi despondens
 Ac humanis viribus orcum
 Nullique aptos prodesse Deos
 Magico cantu nigrisque sacris 1030
 In subsidium sibi curaret.
 Falleris, eheu! sensus alio
 Convertite tuos; aliam, quaeso,
 Si quam nosti, quaere medelam
 Et meliores concipe mores. 1035
 Non datur illud, non vacat, inquis;
 Nam minus, heu, sunt tempestivae
 Ad recta vices, tardior ad bonam
 Reditus mentem, cum praeteritos
 Lugere licet tantum errores 1040
 Nec eo menti regredi fas est,
 Vnde egressa est, cumque negatur,
 Quae consilio potiore monet,
 Ratio solers ea praestare.
 Nixu scilicet etiam summo 1045
 Semel admissum dimitti scelus
 Renuit pugnax, speque salutis
 Pereunte, ruit pede praecipiti
 In deterius, quoad, ulterius
 Crescere nequiens, pleno potiens 1050
 Cumulo per se demum pereat
 Ac succumbens oneri propria
 Mole prematur.

Actus tertius
<Scena prima>

Athamas cum liberis, <Learchus, Melicertes>

Ath. Dircaea tellus, inclytae quondam Iovis
Regnata proli, tuque Musarum sacro 1055
Gens irrigata fonte, quae Thebas colis,
Thebas sacrata Numinum cunabula,
Artificis operam nesciens Thebas opus!
Gens, inquam, ad omne facinus ardens, impiis
Ex quo receptos sanguine humano madens 1060
A se fugavit Tantalus mensis Deos!
Ex quo nepotes docuit inclemens avus
Tingi suorum sanguine exempli memor
Inque documenta pertinax proles suos
Superare patres scelere certavit novo 1065
Et grandiore; sic suam est ab Tantalo
Testata stirpem, gentis hic titulus fuit,
Signa, monumenta, quin et aeternum decus,
Quoque puduisset posteros seu stemmate
Caruisse patrio. nunquid exemplo patris, 1070
Per quem potitus coniuge fuerat Pelops,
Dum pacta merces petitur, in pelagus dedit
Ac proditorem patruī, iniusto licet,
Est ultus animo Myrtilum? hoc levius fuit
Nec patre dignum Tantalo. at nunquid scelus 1075
Immane fratrum, nomen et factum omnibus
Fecit stupendum saeculis? nunquid satis
Thalamis videtur ultus immixtum suis
Atreus Thyestem, cum vorandos praebuit
Sole expavente liberos? dira haec suam 1080
Sensere poenam prandia, et brevi Atreo
Reposuit, ista sensit Agamemnon nepos
Supplicia. caecam Labdaci iam nil opus
Memorare prolem, patris infamem nece
Matri iugatam tumque susceptos patri 1085
De matre fratres, mutua caesos manu.
Haec vetera et usu longiore posteris
Minus stupenda; pene saevitia domus
Benigniore saeculo exciderat, novo
Nunc excitatur scelere: defunctos patres 1090
Suscitat in ortus refuga posteritas suos.

Sensim reditur in vetus generis nefas,
 Aditum nocendi primus oclusum diu
 Sorti reclusit Phryxus; at noxae foret
 Supplicia primus inchoatae, velleris 1095
 Poenas abacti sentiet, furtum luet.
 Supplicia! nunquid possum in immeritam parens
 Saevire prolem? quid male insonti precor?
 Quid Phryxus in me! quid potius in te, puer,
 Quid, Phryxe, peccavi? o patris nimius amor! 1100
 O nimis iniquus impari flagrans face
 Amor in parentem prolis! ah, cur exulas?
 Sed exulantis causa cur Ino fuit?
 Inonis, eheu, pectus immane ac ferum!
 Liceat novercam fugere, cur patrem fugis? 1105
 Cur sic recedis, nate? cur patrem fugis?
 Cur refugis, inquam? crucior, ah, frustra! sed heu,
 Quos iam requiro perditos, non nescio
 Meminisse natos! hoc severae, Numina,
 Sufficiat irae! quaeso, supplicii satis 1110
 Ignotus error senserit; compescite
 Saevos furores! sortis inclementiam
 Lenite! generis hasce relliquias mei
 Servate binos palmites! natis fuit
 Carere durum perditis, quam durius, 1115
 Quas inquietae suscitatur menti timor,
 Dubio tumultu ferre sollicitas cruces,
 Ne clade pereat tota progenies pari!
 O reliqua patris una languentis salus!
 O spes salutis una! relliquiae breves 1120
 Furentis in me sortis! o miseri patris
 Solamen unum! ruite in amplexus pios,
 Ne, si - quod aether omen avertat - fera
 Vos fata rapiant, abripi totos querar;
 Iuvat potiri sobole, dum patitur mora, 1125
 Et parte quadam perfrui, expleri iuvat.

Lear. Quid moestus soboli, parens,
 Ingratos repetens modos,
 Quid tam flebile praecinis?
 An non pectore praescio, 1130
 Quae ventura domum tuam
 Certa lege tenacia
 Circonstant mala, praevidens
 Instantem miser irrigas
 Casum praecoce lachryma? 1135
 An, quae perniciēs gravis
 Infesta serie mali

	Commune exitium trahit, Aut, quae dividuo rogo Praescriptos brevians dies	1140
	Mors urnam et tumulum parat, Affectu patrius pio Indulgens pueris amor Fari difficilis stupet	
	Ad tam lugubre nuncium, Et, quos pectore non valet Luctus promere conditos Tristi victa silentio Lingua, hos flebilibus silens Moeror questibus explicat?	1145
Ath.	Nati, levamen unicum patris, precor, Hunc imbecillo mittite ex animo mali Sensum futuri; cogitetis ludicra Et apta iuvenum moribus laetis ioca.	
Mel.	Obrutus luctu lachrymisque stillans Liberis risus, genitor, iocosque Imperas dulces! adeone sensu Reris orbatum iuvenile pectus? Hos putas nobis animos inesse, Quos atrox nescit Scythia nec benigno Orbe seiuncti feritas Britanni? Talibus quisquam queat imperatis Obsequi, saevam licet hic leaenam Aut gerat crudae fera corda tigris? Haec parens, inquam, potes imperare, Vt puer tristes genitoris inter Gaudeat luctus hilaransque mentem Patrio discors ovet ut dolore? Nonne concordēs sociare luctus Et pari coetu lachrymis vacare	1155
	Mitius censes fore, distributo Singulis, quo tu premeris, dolore? Si iubes risus, hilaratus ora Tu prius sumas habitus eosdem, Nostra tum mores imitata laetos	1160
	Induet laetum facies colorem.	1165
Ath.	Illinc futuros, inde praeteritos miser Lugere casus cogor ancipiti modo Metu et dolore; tertius cumulo deest, Vt nempe pectus urgeat praesens malum. Adderis illud, si quid in lachrymas tener Resolutus oculus triste significet mihi.	1170
		1175
		1180

- Lear. Ergo nec moesti patefactus oris
Exitum luctu procul abnuente
Vllus in voces aditus patebit? 1185
Ergo nec duri patris in tenacem
Pertinax pectus taciturnitatem
Nuncium luctus sinet evolare
Ore sermonem? nihil ergo nobis
Nec dolor nec mens dabit? o utrinque 1190
Saevius proli studium parentis,
Seu siles nolens lachryma iubente
Seu volens nondum satis assuetae
Cladibus parcis sobilis iuventae
Et tuae sortis comites severus 1195
Respis natos precibusque nostris
Surdior causam retices doloris!
- Ath. Si nil levatis nec gravetis languida
Tormenta moesta mentis, incassum malo
Nostro putatis posse sedamen dari, 1200
Si flere mecum liceat et comitem meo
Sociare luctum luctui. nulla sui
Remanet minutus parte nec prorsus gradu
Deterior ullo, multiplex longa licet
Communicatus in pares propagine 1205
Disseminetur corde conceptus dolor
Habeatque comites lachrymis iunctos suis.
Vt taeda vivax luminis rutilos sui
Ministrat ignes nesciens dispendium,
Quin potius eadem, propius applicita focis, 1210
Quos excitavit, munere augetur suo
Dignumque foenus largitatis percipit.
Quid me! quid, inquam, vester attingit dolor?
Quid spectat ad me? quid potest aliud, nisi
Vestras misertum lachrymas ad se trahat 1215
Ac condolere iubeat ut vestris malis?
Proinde vobis si quid ingenui inditum,
Si quis paternae sensus aerumnae manet,
Fletus tenete, lachrymas compescite.
- Mel. O dura mihi misero iussa? 1220
O saevitia durior ipsa
Nimium blandi pietas patris!
Quid enim, genitor, quid flere vetas?
Nescis, quantos exire dolor
Pectore vetitus concitet aestus? 1225
Nescis, quanto turbine verset
Mentem ignoti causa doloris
Ancepsque metus dubios inter,

- Sed praevisos eventus mali
 Res conceptas prodigus augens, 1230
 Gradibus quantis casus asperet?
 Dolor ignotus forte resolvi
 Atque liquari durior, opprimit
 Indigesta pectora mole;
 At, duritie quae contra patet 1235
 Emollita, tenuem lachrymae
 Versus in undam rapitur largo
 Flumine fletus.
- Ath. Haec vera, nate, fateor; immitis fui,
 Tamen benigna mente. concedam libens, 1240
 Quae poscis a me; quid querar, dicam, prius
 Aliquid quietis si mihi fuerit datum.
 Nam gravius animum crucior; eia, liberi,
 Mihi date comitem, dum lares peto, gradum.

<Scena secunda>

Tithene *sola*

- Tith. Iam fare, misera; fare, quae nimium diu 1245
 Muta siluisti. rumpe iam silentia,
 Aude profari: Phryxus, heu, Athamas, tuus,
 Tua, pater, Helle periit unius dolo
 Arteque novercae! proh sinistras regibus
 Tristesque taedas, quas secundis ignibus 1250
 Novus marito vidit accensas hymen!
 Et queis refulsit coniugis primae torus
 Iam coniugali dote progenie vigens?
 Nunquam virescit prospera propagine
 Varius potentum stipiti palmes satus. 1255
 Nephele beata! fata quam suis malis
 Voluere praereptam, haud penates regios
 Aulamque crudi Tantali, haud consortia
 Athamantis usquam, sed futuris cladibus
 Infesta proprio damna fugisti toro! 1260
 Seu profuga vivis, seu necem peperit fuga,
 Nephele, beatas incolis iam nunc plagas!
 O ter secundam a miseriis absentiam!
 O ter malorum prosperam ignorantiam!
 Si nunc adesses, quos satis dignos tibi 1265

Tristicia luctus, quas dolor lachrymas daret?
 Num potius hebetans frigido subiti metus
 Stupore sensum tristis aspectus mali
 Vetaret ullis fletibus tingi genas
 Et ore patulo pectus in voces hians, 1270
 Haerente lingua faucibus, cladem queri?
 Pondus doloris facile discutitur leve
 Ingensque contra mole superanti opprimit.
 Tenui madescit rore deficiens foci
 Paucus tepentis ignis, at flammis furens 1275
 Absorbet undae guttulas incendium,
 Nisi cum ruina concidens omnis domus.
 Non sic quiescit tantulo gemitu gravis
 Dolor, nec altam lachryma tristiciam abluit.
 Sed heu! sed heu me! nunquid hoc foret grave, 1280
 Quos educasti, procreatos perperam
 Audire natos? pignus optatum, parens,
 Non hos in usus edidisti, ut improbae
 Fieret novercae ludus atque irae scopus.
 Ha quid, quid, inquam, retego confectum nefas 1285
 Stultaque tacitum tandiu prudentia,
 Cum nil salutis insuper manet, indico?
 Cum peius index aliquid est silentio,
 Melius tacetur; sceleris huius innocens
 Taciturnitate, iam nocens procacia 1290
 Fio ipsa regi, crimen in me transfero.
 Satis ipsa novi, lingua quid noceat, scio.
 Decepta linguae sed semel fidelitas
 Servare nescit, cum sibi obfuit, fidem.
 Illa miserorum est sors, ut extremis malis 1295
 Extrema cumulent, cum semel lapsu gravi
 Cecidere; deinceps nil verentur, quo cadant.
 An peius aliquid imperet capiti nece
 Athamantis ira? nunquid ulcisci meam
 Linguam valebit peius Inonis furor? 1300
 An potius aliquid melius adveniat mihi?
 Nam vita poena est, quae potest saevissima.
 Ergo, anime, sensus pone vecordes; tibi
 Quod erat timendum maxime, infoelix vides.
 Hos sequere misera rebus ac animo pari, 1305
 Consilia quorum praeter affictam fidem
 Si terminavit exitus tristis, spei
 Postrema deceptae haec habent solatia,
 Vt explicata conquerantur ordine
 Longaque serie coepta; nolentes ad hoc 1310
 Moeroris aufert impotentis impetus.

Me quoque negantem cogit accensus gravi
 Dolor furore; haec horreo, quae profero.
 Sed quid? necesse est. saevior vita haec nece.
 Nam saepe morior, quae semel velim mori; 1315
 Quotiesque menti - Phryxe! - succurrit tuae
 Memoria cladis, accidit toties mori.
 Mors ergo vota summa sunt et ultima.
 Quae destinatae nos manent mortis cruces,
 Praestat citato contrahi compendio 1320
 Quam crebriore protrahi poenam vice.
 Sed quo miserior, hoc - malum - constantior
 Humana perstat vita. si foelix forem,
 Dudum iacerem; vita si cordi foret,
 Mors immineret. sic solet contrario 1325
 Mortale votum ludere eventu improba
 Fortuna, sic ludit cruenta saevius.
 O si valerem mentis arcanum Deam
 Celare vel simulare difformi prece!
 O quam rogarem fervide longos dies, 1330
 Vt mors daretur ultimum miserae bonum!

<Scena tertia>

Tithene, Euriclus

Eur. Ad nova luctus gaudia, Thebe,
 Depone tuos, abiice sordes
 Et pullatae tristia vestis
 Signa remittas turpique situ 1335
 Ora repurges. hilarem laetus
 Indue frontem, quisquis regem
 Candore pio veroque colis
 Nec simulato fictus amore.
 Aditus Divum resera sacros, 1340
 Alacri grates prece persolve;
 Tota frequenti visitata choro
 Tempa precantum sileant nunquam,
 Sed perpetuis resonent votis,
 Quae nunc sospite pro rege suo 1345
 Populi fervens animus sancta
 Pietate Diis superis fundat.
 Plaude, o Thebe, necte choreas;

- Atque ad resonos laeta canentis
 Cytharae nervos pulsata pede 1350
 Tellus hilari, signata solo
 Gaudia gestet. nil laetitiae
 Expers fuerit, repetat degens
 In rupe cava blanda refractos
 Oreas cantus, vox per amaenas 1355
 Fluitans sylvas virides instruat
 Driadas vestros geminare sonos,
 Pleias udis vestra sub antris
 Carmina repetat, ternosque trium
 Concentu uno conciliatos 1360
 Caerulus aether societ versus,
 Dicat: ab imis faucibus orci
 Athamas rediit, pene extinctam
 Corde recepit vegeto mentem
 Atque ad sensus rediit sanos. 1365
- Tith. O brevia fluxae signa laetitiae! o brevi
 Male peritura gaudia! o cantus breves!
 Rex rediit? o quam melius ereptus patri
 Regnoque rediit Phryxus ac Helle soror!
 Heu, rediit Athamas, ut breves vitae moras 1370
 Aeterna longae tempora excipiant necis;
 Heu, rediit Athamas, ut dolores sentiat
 Acerbiores et novos morsu novo
 Et acerbiore! Phryxus o utinam redux
 Sororque adesset! iam redux Athamas foret. 1375
 Hinc moeror, hinc tristitia languentem enecat,
 Quod exulantis nulla spes sit insuper
 Prolis videndae, maximum hoc regis malum,
 Haec causa morbi, hoc vulnus insanabile!
 Huic subvenite, iure tum festos dies 1380
 Agere licebit, huic levamen reddite,
 Cum gratulari fas erit vobis; sed heu,
 Laetifera nullam vulnera medelam sciunt.
- Eur. Heu, tu, Tithene, pectus afflictum eleva,
 Mentem resume; quae gemis, foeliciores 1385
 Laetanda fecit exitus.
- Tith. forsan tibi.
 Eur. Mihi tibi que.
 Tith. si nefas tecum probem.
 Eur. Nefas vocabis regis incolumem statum
 Gaudere.
- Tith. gaude, nil veto.
 Eur. sed improbas.
 Tith. Nec improbo.

Eur.	qui criminat, satis improbat.	1390
Tith.	Qui non vetat, non criminat.	
Eur.	nefas vocas.	
Tith.	Absit.	
Eur.	quid ergo tam nefando nomine Male nuncupasti.	
Tith.	regiae prolis fugam.	
Eur.	Antiqua memoras, vulnus obductum apperis.	
Tith.	Enata vixdum, nota nec satis queror Recensque vulnus defleo.	1395
Eur.	fletu, precor, Questuque, mulier, abstine; inter gaudia Non bene querelae consonant.	
Tith.	nec gaudia Inter querelas.	
Eur.	omnis assensu pari Laetatur aula.	
Tith.	quippe laetari decet.	1400
Eur.	Quid ni?	
Tith.	secundus suadet hoc rerum status.	
Eur.	Non video, quid sit, quod dolendum suadeat. Proinde sanum gaudeo regem.	
Tith.	ast ego Insaniisse doleo reginam.	
Eur.	quid o? Quid ista?	
Tith.	desipuisse reginam.	
Eur.	sapit?	1405
Tith.	Sapisset utinam tam bene.	
Eur.	ut credo, furis.	
Tith.	Furor iste tanti non erit, quanti furor Inonis.	
Eur.	istaec, quaeso, dimitte ocyus.	
Tith.	Dimittet ante membra natus calor.	
Eur.	Vocem at remitte.	
Tith.	quin loquar contentius, Ne forte quenquam fugiat Inonis scelus.	1410
Eur.	Quonam cruentius te furor rapiat, vides? Cuinam obloquaris, cogitas, cuive oblatres?	
Tith.	Pesti nefandae.	
Eur.	sic laccessis, improba, Regale numen?	
Tith.	numen! infernae Stygis Crudele monstrum.	1415
Eur.	proh! sile: adstantem vides.	

Tith. Video execrandum patrii exitium soli,
 Hostem facemque Pelopis antiquae domus,
 Thebae ruinam, funus, o Helle, tuum
 Tuumque, Phryxe, stirpis exitium tuae, 1420
 Deflende rex.

<Scena quarta>

Tithene, Ino, Xanthe, Antiphila

Ino quid illa me coram furit?
 Quid sic profundit ore vesano impia
 Convicia? an temulenta?

Tith. verax Bacchus est.

Ino Dirum caput!

Tith. per quod tot impendent mala.

Ino Aure patienti in me tot excipitis probra? 1425

Tith. Non commovetur sceleris auditor sui.

Ino Hanc amovete, foeminae.

Tith. audire hoc grave est,
 Quod perpetrasti?

Ino per Iovem et sacrum Styga;
 Si te ...!

Tith. quid illud? nunquid occides? novum
 Nec insuetum quippiam.

Xanth. quo sanitas 1430
 Ratioque fugit? quo, Tithene, corruis?
 Regalis an te nil retinet autoritas?

Tith. Regina vere est, Tantali agnosco nurum,
 Decus assequuta est regium stirpis suae,
 Ausa est novum perdita et inauditum scelus. 1435

Ino Huc advocate carnificis ad nos manum.

Tith. Edocta satis es tale opus, nil indiges
 Carnifice, munus illud in me perfice,
 Innecte restem, nil reluctor.

Ino perditam
 Anum.

Tith. novercam perditam!

Ino vitam expues. 1440

Tith. Non odia.

Ino vitam iniquam expues, odium simul.

- Tith. Hae sunt minae? pro quam iocosae! aliud nihil
Nosti minari saevius? proh quam rudis!
Saevire discas me docente.
- Ino brevi tua
Documenta tecum dira dispereant male; 1445
Bacchare iam nunc libere, aeternum tuae
Loquacitati te cruciandam desero.
- Tith. Ego te furori mitto torquendam tuo.
- Ant. Aliquando mentem recipe, tandem ad te redi,
Maturitatem mentis antiquam pete, 1450
Istos furores tempera, modestiam
Resume anilem, hi non decent motus anum.
- Tith. Etiamne consors impudens Inus, tuo
Nefas iniquuum comere eloquio putas?
Procul hinc recede, sceleris authorem et ducem, 1455
I, sequere pernix; lingua patratum scelus
Nunquam tacebit, obloqui nec desinet,
Quoad luatis improbae dignas cruces.

Chorus

- Ch. Mirantur alte perpetuo Iovem 1460
Divi micantem sydere coelites,
Infra veretur fulmineo manus
Iactu tremendum terrigenum genus;
Divi triumphos et meritum Iovis
Congratulantes suspiciunt decus 1465
Ac, diffluentes deliciis, bono,
In quo beantur, laudibus annuunt.
Supplex fideli genus hominum prece
Ac rite fuso sanguine, cum mola
Sacroque odoras thure per aethera
Volvente spiras desuper elicit 1470
Coeli favores ac superos sacrum
Testatur orbis claudere quippiam.
Non obsequuntur Numina perperam,
Frustra nec unum suspiciunt Iovem.
Humana coelo non sine pignore 1475
Nec causa honora gens reverentia
Adsuplicatur, quid meriti movet
Vtrinque victos cum Superis viros.
Et supra et infra iuris id obtinet
Augusta virtus; namque animos Deum 1480

Sese fruentum sydereo sui
 Splendore captos ad studium rapit.
 Insana quamvis inviolabilem
 Tentet procaci dente malignitas
 Livoris atri laedere gloriam 1485
 Virtutis - ipsam scilicet aemulo
 Nullus carentem conspiciet dies -,
 At dignitatis conscia non tamen
 Intus fateri nesciet inclyta
 Hanc laude dignam, laus sua nec decus 1490
 Virtutis usquam fallit amabilem
 Festivitatem. haec cum Iove dat coli
 Heroas alto conspicuos polo;
 Haec, quae Tonantem praeposuit polis
 Divumque plebi, haec unica principes 1495
 Virtus regendis praeposuit viris;
 Haec imperantum dat venerabiles
 Vultus amari, dat quoque subditos
 Obtemperantes imperio ducum.
 Plures in annos hac sine dignitas 1500
 Intacta possit nulla virescere,
 Hac absque nullus divitiis honos.
 Haec est potentum denique maxima
 Tutela, regum lux quoque maxima.
 Concessa nullis in dominos datur 1505
 Censura servis, non sine crimine
 Vsquam clientes praepositi suum
 Examen audent moribus addere.
 Nam seu probetur vita regentium
 Sive improbetur, digna tamen sacro 1510
 Credenda cultu.
 Oblita legum sed tamen et suae
 Sortis remisso munere servitus
 Quandoque mores in vetitos ruit;
 Nam dignitatem, quam scelus inquinat 1515
 Grande, ipsa damnat, spernit et, heu, nefas,
 Discretionis nescia, nobiles
 Proculcat una cum scelere infulas
 Et sceptris labis conscia nullius,
 Villo domari difficilis metu. 1520
 Nam vix timendos constituit sibi,
 Quos spernit amens plebis opinio,
 Quamvis potentes arbitrio necis
 Vitaeque. coniux hos Athamantea
 In se furentis dum mulierculae 1525
 Exhorret aestus atque domestici,

Linguam procacem mancipii pavet,
Nil ausa contra, discit, iniquitas
Quantum potenti detrahat imperi
Contraque quantum principis aequitas 1530
Iuris subactos in populos tenet;
Aequum esse nemo namque ab eo putat
Sese imperari, cui scelus imperat.
Ergo illa foelix est dominatio
Ac principatus, quem tenet aequitas 1535
Virtusque sancti publica principis.

Actus quartus
<Scena prima>

Iuno

Iuno Ades, o Tonantis frater, umbrosae potens
Regnator aulae Pluto; germanae preces
Votumque facilis, si quid affines modo
Reperitur inter gratiae, ausculta, fidem 1540
Exsolve pactam. mitto pollicitae manus
Opem expetitam; nunc vacat, nunc expedit.
Testare Divos inter assensum dari
In puniendo, quicquid humanum genus
Vel singulari numen adversus suum 1545
Peccarit impietate, nil contra Deos
Leve nec inultum, sorte nec quicquam virum
Nos interesse peius aut remissius!
Vtcunque vires acuat in nos insolens
Mortale robur, sentiat se dispari 1550
Pugnare telo, discat inter Numina
Nihil esse parvum; nosse nec sane decet,
Quae lex, quis ordo quodve distinguat Deos
Munus, potestas, dignitas. inter Iovem
Plebemque coeli quid situm discriminis, 1555
Quid quisque possit, hoc sciat solum, decet,
Quo quemque cultu decet et obsequio coli.
Quid, si Tonantis dextera unius regi
Coelum solumque nosset ac incurios
Sine iure post hunc caeteros prosus nihil 1560
Satagere, nisi quae iussa mandarit pater?
Vni referret omnia supremo Iovi
Vnumque coleret, Numinum nos infimi
Vilesceremus penitus inculti; hoc vera,
Germane. namque haec causa te spectat quoque; 1565
Res agitur, inquam, tua, neque mireris Iovem
Nil commoveri, cuius hoc nihil interest.
Dolor ille tantum noster, hinc nostrum est nefas.
Prohibere tantum solus hoc, frater, potes;
Potesque solus contumax hominum genus 1570
Domare et ipsum territare, quippe qui
Tua tela solus post Iovem et tua fulmina
Nosti. quid ergo pateris immotus viros
Sic furere? cur non iure commisso uteris?

Vtere, nec usquam gloriatur impudens 1575
 Hominum propago sese inultos coelites
 Taxasse; necdum commoveris? adhuc siles?
 Satis est, tremendum terra succussum dedit,
 Rata vota; grates, frater, immensas ago.
 Cumulata iam nunc gaudio repeto polos, 1580
 Speculabor illinc omnis eventum rei.

<Scena secunda>

Anthiphila, Xanthe

Ant. O tu, quietos integer quisquis dies
 Videre poscis, si mihi credis, fuge,
 Fuge sed anhelus concitatas turbidis
 Aulas potentum fluctibus, fuge, o fuge 1585
 Tectum venenis dulce mentitis malum,
 Aequor iocosis naufragum periculis
 Varioque semper pelagus inconstans statu,
 Monstrum biformi fronte decipiens, bonum
 Paucis secundum, seriore pluribus 1590
 Male terminatum saepe poenitentia!
 Quis, inquam, amicum novit in regum domo
 Mentis dolosae deviis recessibus
 Non tortuosum? quem salutat blandulo
 Vultu reclinis, cuius imperium aulicus 1595
 Precatur obsequiosus, huius spiritum
 Hausisse vellet ultimum; quoties manum
 Sociat crepanti tactu et amplexum iugat,
 Toties rebeli foedere et vana fide
 Hostilitatem sancit. affingit tibi 1600
 Arcana mentis non nisi fidelis viri
 Aure capienda, pectoris recondita
 Vt tua recludat; vindicis manus opem
 Tunc pollicetur, cum, cur illaesum nihil
 Sitit ultionis, si quid offensae subest, 1605
 Vindictam adurget ore clamoso impiger,
 Caetera remissus, praelia accendit, quibus
 Omnem duelli spectet adventum arbiter
 Animosque laudans videat alternam necem
 Caesumque ab hoste hostem gemello vulnere. 1610
 Vbicumque regnat livor, hic nunquam vacant

Contentiones, odia, rixae, iurgia.
 Haec aulicorum prima pestis obsidet
 Ac format animos, quippe quae limen tenet
 Aditumque praestat in domos potentium. 1615
 Nota loquor et queror.

Xanth. et id incassum quidem
 Minusque sane; namque cur recitas palam,
 Quae tua pudenda sunt? quid aulam reprobas
 Nutrita in aula principum? cur aulicos
 Tanta querela deprimis Inonis frequens 1620
 Comes et ministra? quidve deceptorios
 Mores et animum respuis versatilem?
 Iocos procaces atque blanditias sale
 Lascivientes aspero, omnes denique
 Blande nocendi machinas, qua neutiquam 1625
 Libens videri in arte te victam velis!
 Damnare stultum est, quos nec optas nec potes
 Exuere mores nec vales, velis licet.
 An facile credis opibus et genere inclytos
 Aula carere? non licet, quoties libet. 1630
 Quos iussit esse divites, hos maxime
 Fortuna servos iussit. effunctus suo
 Agricola penso caeterum liber diem
 Quiescit; at nos, imperatis illicet
 Pensis soluti, pensa miseri solvimus 1635
 Aeterna. pauper absolutus annuo
 Vulgus tributo, quae supersunt paucula,
 Sua iactat; at nos aere damnati licet
 Nullo, caput debemus ipsum, denique
 Superbientes, servitute nobili. 1640
 Oppressa duro colla gestamus iugo
 Et pertinaci, excutere quod nostro nefas
 Est arbitrato. nam seorsum vivere
 Semotum ab aula, peius est aula malum;
 Namque fugientem principum domos, eum 1645
 Decus omne refugit, dedecus contra subit,
 Tum parcitatis sequitur et superbiae
 Nota, nec inultum differens sontem diu
 Suspicio spretae dignitatis regiae
 Aut perduellis animi. iners ac bardus est, 1650
 Quisquis quietos expetit vitae dies;
 Sors nulla foelix adeo, quae sua nesciat
 Adversa nec damnanda propterea tamen.
 Proinde vivat quisque, quo statuit modo,
 Rerumque sataget sorte contentus sua; 1655
 Domi colat opus artifex, aulam aulicus.

- Rudis iste mos est, quod semel iniquum fuit
Damnare, quamvis semper acceptum prius.
Tuus error aulam fecit infestam tibi;
Damnandus error ergo, non vero aulici. 1660
- Ant. Non damno quenquam, sed fuisse poenitet
Nimis obsequentem.
- Xanth. nunquid Inoni?
Ant. mea
- Illa est querela.
- Xanth. prorsus insana. an licet
Domini imperata subditis repellere
Quamvis iniqua? si quid offensae subest, 1665
Domino imputatur, culpa non servo datur.
- Ant. Sed poena.
- Xanth. sceleris illa textorem manet.
Ant. Regale nulli subiacet poenae caput.
- Xanth. Ergo minister imperatis obsequens?
Ant. Sic assolet; sua namque supplicio luunt 1670
Crimina alieno principes. fert innocens
Peccata domini servus. hoc ipsum queror,
Hoc timeo.
- Xanth. nulli culpa rescitur tua.
Ant. Quin nostra.
- Xanth. si quid conscia es, id ipsum tibi
Licet imputare; tota sum mihi innocens 1675
Nec ipsa, culpae me tuae adscribas, velim.
- Ant. Comes adfuisti, texuit ut Ino fugam
Phryxo et sorori.
- Xanth. dicere id quisquam audeat?
Ant. Quibus ergo passim personant clamoribus
Athamantis aedes? quid reclamans perstrepi 1680
Aliud Tithene?
- Xanth. nulla vesanae fides
Mulieri habetur.
- Ant. si quid assereret probi;
In prava verum facilis humana est fides,
Difficilis in bona.
- Xanth. innocentes neutiquam
Regina plecti desinet.
- Ant. quid audeat 1685
In scelere praesenti?
- Xanth. sed heu, Hebas adest.
Orationem, quaeso, detorque tuam
Aut plura fari desine; inquiras virum,
Vt valeat Athamas, quas modo sedes petat.

<Scena tertia>

Anthiphila, Xanthe, Hebas

- Ant. Quo sic, o Heba?
- Heb. quo dolor me concitat 1690
 Noctu diuque libero nunquam gradu,
 Verum coacto et nescio per atria
 Errantem et aedes perque Thebarum vias
 Nunquam quieto membra sistentem pede,
 Partes in omnes explicantem fervidas 1695
 Aures et avidas nuncium excipere sonum
 De comite Phryxo; patula nunquam lumina
 Circumvolutis implicata palpebris
 Somnum aut tenebras sentiunt, sed vivida
 Acie micantes solis explent lucidi 1700
 Iubar negatum noctis in caligine.
 Tantum ardet animus quoque momento mihi
 Reducem videre nuncium! rumpe o moras,
 Pherete! passus tardiores concita!
 Progredere! progredere, Pherete! citus redi! 1705
 Velox amico defer auxilium tuo!
- Ant. Nil concitatur tot querelis nuncius.
 Impone finem.
- Heb. nesciet finem dolor
 Luctusque, Phryxum quandiu amissum sciam.
- Xanth. At nunquid ipsum lachrymae amissum dabunt? 1710
- Heb. Dabunt, ut ipsi iungar amisso, dabunt
 Malo medelam.
- Xanth. peior est ipso malo
 Tua haec medela.
- Heb. nullus est quibus mali
 Sensus.
- Ant. quibusnam non gravis Phryxi fuga?
- Heb. Inoni et eius perditio consortio. 1715
- Ant. Quaeso, modeste.
- Heb. scilicet modestiam
 In eo requiras, cui nocentum crimine
 Truciore desperata cecidere omnia.
- Xanth. Regina tamen est, quam lacessis.
- Heb. improba est.
- Xanth. Melius silentur principum labes.
- Heb. quibus 1720
 Non sunt molestae.

- Ant. nemini non sunt probo
Semper molestae, sed silendae.
- Heb. incongrua
Procul hinc facessant monita; nil neque vos moror
Neque documenta inepta prorsus, et quidem
Commune vobis atque reginae est nefas, 1725
Quod tegitis excusatione. an creditis
Haec fugere mentem? scilicet in alio scelus
Decet abnegare, cuius est aliquis reus;
Has faciliiori cuipiam nugas date.
Sed adest Pheretes. cor pavet, quod appetit 1730
Auris, velimque maxime. quod horreo,
Audebo; nec enim morte quid gravius potest
Afferre. Dii, Pherete, fortunent tuos
Reditus, secundis instruant te nunciis!

<Scena quarta>

Hebas, Pheretes

- Pher. Vtinam haud negatum, quod bene precaris, foret, 1735
Diique imperassent laetiora dicere!
- Heb. Perii! peractum est, quod miser timui, nefas.
Adiunge sortis, Phryxe, me comitem tuae;
Fiamque consors mortis, ut vitae fui!
Phryxe, o remissis Tartari de sedibus 1740
Precibus supremas si quis ascensus datur
Aetheris ad aulas - nam scio, memor es mei -,
Hoc mihi precare tecum, ut Elisium colam!
Occubuit ergo Phryxus?
- Pher. incertum mihi,
Vivatne Phryxus an sepultus occidat. 1745
- Heb. Rem, quaeso, nudus apperi nec quid meo
Parcas dolori. nunquid extinctus iacet?
- Pher. Vetas profari. luctuosum scilicet
Statuere coram funeris spectaculum
Profusiori lachrymarum flumine 1750
Queruloque planctu crederis; nec enim meum
Adusque tanto pectus obsessit mali
Memoria, quippe qui nondum satis,
Quam specto, cladem credidi. at iam nunc tuo

- Victus dolore sentio et credo; hoc valent
Exempla et in re qualibet consortia. 1755
- Heb. Mecum querelam conferas, non postulo;
Sed dissere, ecqua Phryxus occumbat nece?
- Pher. An credis aequum, ut verba praelibes mea
Et ante regem, quid novi feram, scias? 1760
Non licet operta subditis recludere;
Quae perferuntur regibus, sunt haec manu
Solvenda domini.
- Heb. num tabellis condita
Commissa perfers nuncia?
- Pher. an fidelius
Celat sigillum, quae tabellis credita 1765
Quam quae auribus?
- Heb. quae gravia vel quae seria.
- Pher. Res ponderare principum haud est subditi,
Cum regibus nil non grave est et serium.
Quid scis, an ipsa libeat exponi omnibus
Palamque fieri placeat exitium domus? 1770
Periculosum praedicare perperam,
Quibus urgeantur res potentum incommodis;
Nam malevolorum tunc furit vel maxime
Rabies nocendi, cum quid adversi ingruit.
- Heb. Vnde didicisti, quae modo perfers domum? 1775
Nunquid alienum doctus es per indicem?
Quae tecta nobis, exteris sunt haec palam,
Minusque nulli nota quam domesticis;
Proinde nullo lingua conticeat metu,
Expone tutus omnia.
- Pher. exponam domi, 1780
Regredere mecum; facile tum cuncta audies,
Athamantis auri digeram cum rem ordine.
- Heb. Absiste, quaeso; si salus te quippiam
Tangit Athamantis, nesciat reditus tuos,
In tempus aliud differ opportunius. 1785
At solve nobis interim seriem rei,
Quo genere fati Phryxus extinctus iacet.
- Pher. O fata, semper Tantali nepotibus
Infensiora! an vos inevitabilem
Nullius arbitrio fluentis ordinis 1790
Dicam exitum? annum temere volventem omnia
Indestinato sortis eventu Deam?
Non sic perennis pertinaci calamitas
Devolveretur per tot aetates malo
Hoc genus in unum Tantali, foret aliquid 1795
Mutationis, mitigata atrocitas

Spirare melius quippiam permetteret;
 Verum furoris saeva contumacia
 Moras vicesque nescit. inde conspicio
 Meminisse Divos hospitis saevas dapes 1800
 Culpamque patrum distulisse in liberos
 Odio perenni, sic patitur insons nepos
 Pro scelere veteri debitas avo cruces,
 Haec dira sors est diraque est fatalitas,
 Vitanda nulli. quis etenim Divum manus, 1805
 Quas ultionis efferat dirus furor,
 Declinet usquam? facile inermem laedere
 Nec cogitantem, difficile contra inscio
 Non conspicati fugere leti vulnera;
 Non aliter agitant bella nobiscum Dii. 1810

Heb. Meditanda post haec aliud hoc tempus dabit.
 Quae postulabam, quaeso, percense brevis.

Pher. Iam dicta cupiam; namque cogitatio
 Nunquam haec modesto corde tentari potest,
 Alio sed indignantis aestus abripit 1815
 Animi iubetque, quae minus cupiam loqui.
 Tamen hunc domabo, quaeque rescivi, loquar.
 Vt imperata regis accepi, grave
 Atque male gratum, si quod est humeris onus
 Vsquam statutum, littus Ismeni legens 1820
 Et tortuosa fluminis peragrans loca,
 Quas indicasti, sedulo et celeri plagas
 Cursu requiro, quemlibet inquiri obvium,
 Hospitia quaeque scrutor ac urbes sagax,
 Nec praeteritur non rogatus quispiam. 1825
 Video frequentes pecude multiplici greges
 Rarum per agros gramen exustos vago
 Pastu metentes; acer illuc cursito,
 Inclamo, verum nullus ad vocem venit
 Nullusque prodit, nisi latratu dissono 1830
 Rictuque minitans aspero custos canis;
 Clamore cuius si quis admonitus mihi
 E latebra obortus fore comparet, statim
 Procul hunc regressum revocat aspectus mei,
 Ac nulla revocant monita. quid faciam, haud scio; 1835
 Si quem reclamo forte conspectum, aufugit,
 Alias recurrens. repeto caulas, hic mihi
 Cum perstrepe non minor rixa est cane.
 Tandem hunc sagaci mente commentus dolum,
 In me latrantis urgeo fugam canis 1840
 Huncque fugientem persequor, repetens herum;
 Ceu fune ductus umber ad praedam regit

Coramque sistit, quo latet pastor loco.
 Tandem repertum gratiori blandius
 Percontor ore, voce confirmo virum. 1845
 At ille pavidus, haesitans una meas
 Petitiones solvit ignorantia;
 Grave ac acerbum est decipi sic spe mea,
 Pigetque tantum perperam emensum soli
 Neque didicisse quippiam, mecum tamen 1850
 Hoc statuo, nunquam constiturus, neutiquam
 Reditum ad paternos cogitaturus lares,
 Nisi prius aliqua parte mandatum mihi
 Onus expedirem. pene tunc deperditos
 Animos resumo, et, quae prius gravis via, 1855
 Pede leviori iam mihi decurritur;
 Modo huc modo illuc montium per devia
 Dumisque saltus horridos rumpo viam,
 Nemora reclamo, quaeque conscerptum suis
 Videre praedam canibus Actaeona datum, 1860
 Quaeque patuere divaganti culmina
 Saxosa Nephelae, queis Elis vernans apex
 Reflante vento querculus nutat, quibus
 Opacat Otris sua feris cubilia,
 Animantis et quae praepete ad nutum Dei 1865
 Pede divagatur montium moenas iuga.
 Demum canentis undecunque saxea
 Seges cucurrit ad sonos Orphei, stetit
 Cum Theba primum moenibus spontaneis.
 Strepuere montes vocis ad sonitum meae, 1870
 Mihi accinente nemine. ad silentium
 Concussus animus horruit, ac sententiam
 Constantiamque exorta cogitatio
 Nova revocavit, statque decretum mihi
 Nunquam redire vel manu propria mori. 1875
 Inter tumultus mentis attonitos oves
 Conspicitur aequo pastor observans iugo,
 Cui praeparentis subter aspectus maris
 Circum patebat Phasia aure et Colchida.
 Festinus illuc scando, congredior virum 1880
 Non invenusto ruris accessu gravem,
 At faciliorem caeteris; vix paucula
 Eram profatus, 'quos requiris, debitas
 Sensere poenas', inquit, 'erepti gregis.'
 Concussa motu corda tunc contrario 1885
 Inter metumque et gaudia incerto statu
 Haesere dudum; namque mens ad nuncia
 Optata saliit, timuit adverso impetu.

	Tulisse furti cum cruces dignas ait, Fures abacti nempe censebat gregis;	1890
	Vtrumque perrupi tamen, qualis salo Quassata pinus in furenti, statibus Hinc aestuosus Africi et rabidi noti, Aquilonis illinc, nauta quam validis tamen Remigibus instans littori emersam applicat.	1895
	Immotus ergo totius seriem rei Percontor, ille nil gravatus explicans. 'Iam ternus', inquit, 'solis est in arcticum Ascensus orbem, cum quaternus Delii Emersus undis cornipes recens adhuc,	1900
	Quatiens madentes rore nocturno iubas, Oriente limphae luce vibrabat, sua Cum Tethide ludens; tunc ego e septis grege Huc expedito, pelagus effusum et situs In valle campos more contemplor meo.	1905
	Intueor infra littore in curvo maris Iuvenes duos, ariete cum croceo, vadum Oculis probantes, quos brevi miror duos Ariete sessores in uno in littora Vectorem agentes; restitit timidus aquae	1910
	Nec suetus aries tingi. adurgent, increpant, Tandemque victus impetu magno insilit Pondusque fert per maria tollutim enatans. Delector intuitu novi spectaculi;	
	Verum fatiscens onere superanti, caput Vix iam eminebat fluctibus, nec sarcinam Nec vellus undis protegens. miseret viae Vix parte media bene peractae; inter moras, Ecce, tibi validiore succus<s>u effluit	1915
	Virgo in profundum, decidens caudam arripit Tenaxque adhaesit subsequens aliquandiu. At crebro colluctata saevis fluctibus Atque revoluta tertio ad summas aquas, Absorpta tandem vortice est. at pondere Aries solutus nimio in adversam tulit	1920
	Iuvenem expeditus ripam et incolumen stetit.'	1925
Heb.	Periimus, heu me? surripe hinc tete ocyus. Ah, vereor, Athamas ne quid audierit. quibus Coloribus rem comere eloqui queam! Approperat ad me, rem subolet, ut auguror.	1930

<Scena quinta>

Hebas, Athamas, Euriclus, <postea Pheretes>

- Ath. Quo se recepit tam citus, quicum modo
Edisserebas? fare? quis tandem hic fugax?
Nunquid Pheretes?
- Heb. unus est ex civibus.
- Ath. Nunquid Pheretes, inquam?
- Heb. adesset hic, velim;
Mihi tardiores scilicet profert moras. 1935
- Ath. Mihi visus, inquam, quem negas protervius.
I, sequere praepes, Euricle! obvertas virum;
Huc siste, quisquis fuerit.
- Heb. ignoscas, precor.
Nuncia negavi laeva non hominem loqui;
Ingentis a te mens fuit divertere 1940
Causam doloris. si quid erravi, me eo
Pietas adegit; fabor, ut tibi visum erit.
- Ath. Visum est, silescas; non enim satis decet,
Quae modo negasti iussus, iniussum loqui.
Cum nesciebam, pertinax silentio 1945
Texisti et optas, cum scio iam, proloqui;
Silere disces tempore et fari loco.
- Eur. Quem postulabas, en, tibi sisto virum.
- Ath. Quo sic ruebas, perfide, effugiens herum?
Sic iussa ludis? haecine est fidelitas? 1950
- Pher. Ignosce, rex; me nuncii crudelitas
Fugavit a te.
- Ath. quid rei? ut proles valet?
Vbi modo nati? nunquid extincti iacent?
- Pher. Refugit profari lingua tam dirum nefas.
- Ath. Quid refugis, inquam, clarius proponere, 1955
Quae nunciasti occultius? nil nunc opus
Ambage cladem tegere; nam crudelius
Suspicio mentem vexat et forsant iubet
Excogitare clade quid peius mea.
Vivitne Phryxus?
- Pher. vivit et Phasin tenet 1960
Incolumnis; at sepulta ponti fluctibus
Occubuit Helle.
- Ath. vae, parens miserrimus!
Heu triste nullis funus exequiis datum!
Triste heu sepulchrum non sepulti corporis;

	Sicne tibi proles, sic parentandum fuit!	1965
	Haecine manebat pompa funebris rogi!	
	Hic tumulus ossa debuit et artus tuos	
	Nulla sacratus victima, horridus, impius	
	Surripere patri. ah, si liceret ultimos	
	Mihi saltem honoris reddere et tumulum sacra	1970
	Vestire fronde aut munus exequiis dare,	
	Tristes parentis hoc levaret lachrymas;	
	Sed nec sepulchro, sed nec etiam pulvere	
	Vili insepultam condere concessum mihi!	
	Domo parentis nunquid hoc fuerat satis	1975
	Errasse vivam? mortuam quid erat opus	
	Requie carere et insepultos per Styga	
	Errare manes? proh Deum nimius furor!	
Eur.	Heu, cum tumultu terra sub pedibus fremit	
	Aurasque miscet murmure, ut cum fulgure	1980
	Nondum recocto torquet in sese notus	
	Nebulas nigrantes nocte perturbans diem	
	Quatiensque rauco turbine et terram et polos!	
Ath.	Post fata totus, illud est, non deperit	
	Homo, sed in umbris remanet affectus memor.	1985
	Studiumque amatae vita dum stabat rei,	
	Hinc mihi, quod Helle viva non potuit vale	
	Pronunciare, functa sic obmurmurat.	
Eur.	Horrescit animus; namque perrupto solo	
	Iam mihi sub umbras videor elabens dari.	1990
	Sic dum supernas Cereris in plagas gener	
	Rumpebat ascensum, crepabant omnia.	
Ath.	Nondum solutis umbra iussis ingemit	
	Ac urget Helles; audio, faciam satis.	
Pher.	Iam rupta tellus noctis infernae diem	1995
	Obvolvitur umbris; cernis hoc, Athamas? fuge.	
Ath.	Quo me, Pherete, quave tentabo fugam?	
	Vndique negatur exitus; quoquo pedes	
	Deflecto, tellus specubus infernis hiat.	
Pher.	Hac, hac recipe te.	

<Scena sexta>

Athamas, Furiae duae

Fur. I.	siste fugitivos gradus, Abominande.	2000
Fur. II.	quo ruis execrabilis?	
Ath.	Adeste, Thebae; huc in meam, cives, opem Citi advolate.	
Fur. II.	nil tibi Thebis opus Nec gente tota, nunc opem frustra invocas. Mortale nostras robur adversum manus Quid valeat, ipse disce, si quicquam vales Molire contra, sceleris audax artifex. [Nostros retunde, si tibi datum est, impetus.]	2005 a
Ath.	Obruite subita mole poenarum, caput Mactate subito verbere aut celeri in cavos Rotatum hiatus turbine atterite cito, Morte celerata saeviendo parcite.	2010
Fur. I.	Dabitur, quod optas. fata te certo manent, At non, ut optas; longiora scilicet Supplicia passum, nostra te ex ipso die Cruciandum ad ignes rapiet aeternos manus.	2015
Fur. II.	Iam fruire claro lucis exosae die; Quas refugis auras, duriores Tartaro Invitus hauri, vive iam cupidus mori Poenasque senti, non ut appropera nece Compendiosas expetis, sed, ut decet, Protractiores ordine immenso cruces! Punire non est, quando, quae statuunt sibi Supplicia sontes, non gravati perferunt; Haec sunt petendi parte, qua cupiunt minus Sperantque miseri, sic domandus es mihi.	2020 2025
Fur. I.	Non commoveris? facibus incutiam metum. Iamne obstupescis? verbere in tuam cutem Contortus anguis perditos sensus dabit; Incipe flagellis, perditae, assuescere, Miser excitare, virus ac pestem pati Incipe draconum, felle saturare anguium, Ebibe veneni pocula aeternum tibi Exhaurienda. gradere, quid stas torpidus? Quid stupidus haeres? nunquid hos horres specus? Nunquid pavescis hos hiatus horridos Tuisque apertas artubus voragines?	2030 2035

Nigros recessus intuere Tartari
 Interque tenebras noctis infernae leves
 Vacuosque membris evolantes aspice
 Ad te parentum spiritus. nunquid vides, 2040
 Quos efflet halitus? laborantem ut siti
 Exertet ore linguam et arentes fame
 Vix firmet artus Tantalus, lusor Deum?
 Non sicca macies oris et pallens labrum
 Oculique terra concavi capedine 2045
 Reconditi obtutuque languenti horridi,
 Non scabra toto carne consumpta super
 Revoluta collo protrahens palaria
 Pellis timorem ciet et horrorem incutit?
 Vide, ut secundo tractus ad vitae plagas 2050
 Prole comitante gemina ab igne Tartari
 Styge enatata cupiat in subitam tuae
 Domus ruinam manibus his hydrique agi;
 Quas vultuosus tetrico aspectu minas
 In te Thyestes asperat, nunquid vides? 2055
 Quas ante Graium ductor Agamemnon manus
 Operamque sensit, pollicetur impius?
 Hac utere, hanc require, si quid indiges,
 His ducibus ac authoribus ad eiusmodi
 Exercitatis opus; onus tibi inditum 2060
 Levius erit, facilius eversam domum
 Generisque relliquias tui tecum miser
 Vna recides clade. prolem audacius
 Ipse ut cruenta conteras dextra tuam,
 Alias Thyestes liberos pransus suos 2065
 Docebit; hunc roga, libens aderit tibi.

Fur. II. Cur conticescis? cur ope hac non uteris?
 Sentio, manus haecce nostra praesidii satis
 Sufficiet; eia, concipe ergo debitos
 Ad id furores facinus, Orestis indue 2070
 Cognata corda, mente perpetuam gere
 Rabiem facesque has concitatis antefer
 Oculis nec usquam desine, extincta nisi
 Tecum universa clade communi domo.

Chorus

Ch.	Quae vos dira cupidinis,	2075
	Mortales, agitat sitis?	
	Quo vos tramite devio	
	Mentis, quid petat, insciae	
	Error praecipites agit?	
	Quid stulti male credulam	2080
	Mentem non bene cogniti	
	Spe vesana alitis boni?	
	Speratis stolidi fore	
	Foelices, saties opum	
	Cum vos plena referserit.	2085
	Haec sunt maxima primaque	
	Imis vota recessibus	
	Vestri condita pectoris,	
	Haec optata bonum Iovem	
	Adiurant tacita prece,	2090
	Cum stillata super foco	
	Sacris exta vaporibus	
	Coelo sollicitant Deos;	
	Haec ignota labris, latent	
	Cordis sub penetralibus,	2095
	quae clam nemine conscio	
	Elinguis superis Diis	
	Exponit meditatio,	
	Mentitas populo palam,	
	Tum cum murmurat os preces	2100
	Devota specie tegens,	
	Quae detecta rubesceret	
	Adstantum reverentia.	
	Cur, quae mens studio probat	
	Interno, labra respuunt?	2105
	Et, quod pectora nuncupant,	
	Cur votum pudet eloqui?	
	Lingua scilicet arguit,	
	Quid subsit vitii pudor,	
	Praesentitque latens malum	2110
	Ficta sub specie boni.	
	Adverso tamen auspice	
	Optatis renuentia	
	Nil vos omina territant,	
	Sed quicquid moniti vetent	2115
	Vobis monstra domestici,	
	Nil praeceps temerarii	

Imprudentia pectoris
 In damnosa minus ruit;
 Quae secura sui mali et 2120
 Cladis conscia propriae
 In praevisa pericula
 Notam et perniciem ruit.
 O perversa tenacitas!
 Nescis, consequa gens, opum 2125
 Fallax unde nefarios
 Ortus ducat iniquitas?
 Nescis, quo mala principe
 O manent caput in tuum?
 Et quaecunque sua viros 2130
 Pestes inficiunt lue?
 Haec mortalibus invida
 Partu monstra perhorrido
 Terris nox Stygis edidit;
 Ac, ne Tartareae procul 2135
 Praesens horror imaginis
 Arceret Superos, eo
 Prudens consuluit dolo
 Noctis pallidus arbiter.
 Nam, quaecunque per abditos 2140
 Telluris latitant sinus,
 Assentante placentia
 Splendoris radio bona,
 His involvit acerbius,
 Quicquid terrigenis nocet, 2145
 Vt mens, illecebris nothi
 Delenita boni, libens
 In damnum rueret suum.
 Tanti caeca libido stat;
 Non gratis tremula cibos 2150
 Ex seta dat inutiles
 Aut escas medicamine
 Torpenti iacit ebrias
 Fallax in vada fluminis
 Piscator sine praemio, 2155
 Sed pauci leve temporis
 Donum foenore maximo
 Compensat, siquidem suis
 Eductus latebris, tenax
 Hami quem medio trahit 2160
 Vncus viscere pendulum,
 Piscis, quos avidus cibos
 Absorbsit, pretio suae

Vitae praeda datus luit.
Quid? vobisne minoris est 2165
Ditis munificentia?
Vos prorsus faciles capi
Iisdem decipit artibus,
Quoque appendit opes, eo
Appendit mala pondere; 2170
Nam permixta simul pari
Ambo sub specie latent.
Et quae munera tuta sint,
Orci quae tribuit manus?
Hostis nulla suo dolo 2175
Vsquam gratia deficit.
Quo vobis numero bona
Et fluxae veniunt opes,
Hoc vobis numero mala
Et casus veniunt graves; 2180
Sic quo plura quis obtinet
Fortunae bona, pluribus
Infoelix premitur malis.
Si vicina pericula
Et clades fidei satis 2185
Praestant, sors Athamantea,
Quanti dentur opes, docet.

Actus quintus <Scena prima>

Cleomachus, Ephialtes

- Cleo. Quod ante nobis gravius ac peius fuit,
Extrema sortis leniit asperitas; metum
Resolvit etenim tristis eventus mali, 2190
Frequensque cladis usus horrorem abstulit.
Nisi furor in nos Numinum asperior foret,
Foret illud aliquid in malis levaminis;
Namque obstupescens sensus omnem perditum
Exinde sensum raperet in mediis malis, 2195
Ast aliud aliquid gravius horrore et metu.
Ne quid quietis miseriae nostrae sciant,
Intus resurgens durius mentem quatit
Ac lacera torquet corda maiori modo.
Sic calamitatis semet in peius sequax 2200
Successus auget ordine et tacito gradu,
Taedet refracta sero post incendia
Fontem expeditum ac irritam in cineres aquam;
Ad opem fuisse tardiores poenitet,
Ac evocata serius magicis sonis 2205
Remedia coelo.
- Eph. nunquid Hermanti datum
Id oneris, ut carmine cieret sydera
Tractumque coelis evocaret, Cynthiae
Robur Athamanti commodum ac morbo utile?
- Cleo. Annis gravatus tardior ad opus suum 2210
Senex movetur tardiusque digerit,
Quae mente coepit; haesitat diutius
Titubante relligiosus animo, ne male
Succedat aliquid, ne quid obmissum sacris
Desideretur ritibus. volvit diu 2215
Secum et revolvit coepta lentus; interim,
Dum tota tardo, quo decet res, ordine
Gerenda mente digeritur ac, ut seni
Mos est, minutim discutitur atque haud sine
Iucunditate - namque studiosus senex 2220
Suique amans est -, volvitur multus dies,
Morbusque foedat libera corpus lue.
Periculum est, timeoque, ne similes moras

- Hermantis ipse protrahens, nimis insito
Remedia serus cassa tentarit malo. 2225
- Eph. Concedo dictis, tardior forsitan fuit
Hermantis ad opus; forte nec prorsus suas
Explicuit artes. at quod affirmem magis,
Forte recitatis cantibus renuit polo
Difficilis ad nos luna moliri viam; 2230
Leviore non sic trahitur ad nutum prece
In vota coelum, vix iugi constantia
Demulcet illud pertinax oratio.
Non sic profusi prodiga Superi manu
Elargiuntur, quicquid optatis placet 2235
Mortalibus neque, audientes vocibus,
Sic imperatis sedula advigilant ope;
Surdescit aether saepius ad primas preces,
Quodque prius asper renuit, assensu dato
Facilis deinceps annuit, sed plurimo 2240
Labore fractus atque constanti prece.
Licet ingravato saevior morbus malo
Athamantis artus morte vicina rogo
Animamque Diti destinet nec fulgeat
Spes sanitatis ulla, nil minus tamen 2245
Sperare nobis convenit. quin optime
Sperare suadent coelites; nec enim suas
Vires probant, tum cum potest industria
Diva medicinae specimen herbarum dare.
Frustra imperasset Delius vicariam 2250
Chyroni opem, nil detrahit solertiae
Humanae; at, urgens si quid exuperat lues
Arti negatos terminos, supplet suam
Benignus operam Phoebus.
- Cleo. at, quicquid spei
Tibi fingis incertus, habet adiunctum sibi 2255
Metum, petitam ne neget Titan opem;
Nobis tenetur nulla enim astrictus fide.
- Eph. Et spem metumque solvet Hermantis redux:
Quid sit opus, ipse sat docebit. hunc vides?
Adeamus.
- Cleo. ah, iam vix mihi arridet senex 2260
Tristi remissus fronte, nil laeti auguror.
Iucunda vel non animus, Hermantis, tuus
Celata servet, nescio, sed palpitans
In quaestionem lingua te viso negat
Vllam resolvi; iam satis, quid perferas, 2265
Ex fronte disco, iam tuus satisfacit
Petitioni, triste nescio quid mihi

Atrumque praefert ac iubet silentium
Aspectus oris.

<Scena secunda>

Cleomachus, Ephialtes, Hermantis

- Herm. laeva dispereat dies,
Cum vos sinistris obvius avibus dedit 2270
Sors nimis iniqua cumque fatalem mihi
In dira vocem iussa rupistis, viri;
Disrumpor intus taedio acceptae mihi
A Diis repulsae. sic male elusum pudet
Pigetque Phoeben arte tentasse irrita. 2275
- Eph. Quin te pigeret durius, si morbido
Deses Athamanti denegasses quippiam
Tui laboris; poeniteret syderis
Non evocati, teque conscientia
Non applicati remedii argueret reum. 2280
Eo referres regiae causam necis,
Moestaque perennis corda torqueret dolor.
- Herm. Regi levamen arte molitum mea
Ac praestitisse debitam obsequiis opem
Non poenitet, sed, ah, rebellem carmini 2285
Renuisse nostris obsequi iussis polum
Piget et statutis decidisse perperam
Coeptis; pudetque, quos fideles antea
Cantus salubri in singulos medicamine
Expertus ipse sum, medelam, maxima 2290
Quae vota fuerant, perfido fastidio
Regi negasse. munus hoc utinam viro
Fuisset alii creditum; siquidem meus
Quamvis ab omni prorsus immunis labor
Errore fuerit, non vacabit attamen 2295
Culpa, polique non nocens culpam feram:
Meus erit error, cantibus quicquid meis
Negavit aether, quicquid optatis deest.
Quisquis minister exequendis principum
Vacat imperatis, videat attentus, decet, 2300
Non quid valebit ipse, sed, quae suscipit,
An ipsa valeant perfici; nam quod semel
Statuere agendum principes, quoquo modo

- Fieri necesse est, hoc repugnet ilicet;
 Penes ministrum, si quid erit obstaculi 2305
 Culpaeque, computabitur, defectui
 Nil veniae et excusationis linquitur.
 Licet ego superas moverim potentias
 Ac nihil inausum cantibus fuerit meis,
 Tamen omnis in me causa statuatur mali. 2310
- Cleo. Non sic iniquo ponderant examine
 Res subditorum principes, ut omnia,
 Prout imperavit ira vel dolor, improbent.
- Herm. Non mens iniqua est principum, at reverentia
 Atque sacer horror concitati numinis 2315
 Tanto timore pectus implexum obruit,
 Vt conticescant penitus elingues neque
 Causam tueri subditi verbo queant.
 Sic innocentes facile in errorem cadunt.
 Quis enim furentem regis aspectum ferat 2320
 Contrave certet?
- Eph. fateor hoc sane libens.
 At fare, coeptis unde sit vitium tuis?
- Herm. Non facile possim; conice at tu, si potes,
 Sermone nostro: singula exponam integer. 2325
 Quam nata Phoebos calluit Circe magis
 Et quam professa Colchica est artem nurus,
 Sola est et una quidem; artis ast industria
 Varios in usus explicatur multiplex
 Variosque variis edit effectus modis. 2330
 Sua namque vis est singularis omnibus
 Disparque virtus pharmacis; nec enim pari
 Sus deque in omne conferunt malum modo:
 Hoc implicantur anxiae mentes virum,
 Illo inde curis explicantur liberae,
 Hoc mittit orco corpore exuta suo 2335
 Viventium animas, hoc easdem propriis
 Membris secundo redditas orco trahit,
 Hoc frigus, illo gignitur membris calor,
 Hoc odia miscet, hoc amores incitat,
 Hoc turbat auras et diem tenebris vetat, 2340
 Contra hoc serenat et fugat noctem die.
 Quaecunque propriis destinantur usibus
 Propriumque servant ordinem, extremas domus
 Caeco in recessu, ne quis errori locus
 Falso daretur forte delectu, omnia 2345
 Oculo sagaci seligo et, tanta manu
 Cuiusque vires nuncia edoctus nota,
 Expono coram pharmaca, occluso tamen

Celata vase, donec extinctus dies
 Solem fugasset; namque vivacem impetum 2350
 Succi ferocis solis irritat iubar.
 Vt ergo seras vesper accendit faces
 Statioque flammis imperata noctuis
 Vidit Booten orbita boves suos
 Breviore circum terminos gelidi poli 2355
 Agere inchoantem, nec mora est, caliginem
 Noctemque pello non sucto lumine.
 Nam mihi sepulchris calva defuncti cava
 Excepta ab imis, quam quidem humani replet
 Omenti adeps, praebet perobscurum iubar 2360
 Dubiaque geminos luce per hiatus micans,
 Nisi quo meum me vocat opus, vibrat diem;
 Hac face potitus muneri accingor meo
 Habitusque dignos induo et cultus sacros,
 Tempora revinctus Lycio ter triplici, 2365
 Quod casta tenerae virginis novit manus,
 Nondum resecto primulo de vellere
 Arietis, alvo quem recens luci dedit
 Enixa mater, inde postremas manus
 Volamque lautus latice coelesti novos 2370
 Ad solis ortus, rore cum tellus madet
 Viridante in herba fusili, lecto mihi,
 Quo solis axes tempore ex tauri domo
 Vicina vernis signa conscendunt rotis.
 Sic rite mundus, tunc locum fragrantibus 2375
 Vaporo fumis ac odore lustrico
 Vivacis aerae cruditatem tempero,
 Succos in auras profero - monstrum! putri
 Omnia videtur lividus tabo cruor
 Inficere; dudum mente suspensa steti, 2380
 Quid hoc sinistri triste vellet ominis.
 Dum dubius ipse consulo, quid facto opus,
 Ecce, mihi rectis horruit pilis caput,
 Liquitque venas sanguis! ocluso undique
 Etenim meatu tunc per cubiculum 2385
 Convolvit auras atque circum pharmaca
 Caputque multo vortice oblusit, faci
 Tum rapuit ignes, pene diffugit metu
 Animus; pavore sensim ast excusso excitos
 Recipio sensus atque mentem colligo 2390
 Silicisque venas scrutor. attritu crepat
 Micatque flamma, concipit stipulas focus,
 Instruitur igne lampas, at efflat statim;
 Animoque quoties, occidit toties mihi.

	Tentare Divos desino, fastidia	2395
	Coeli et repulsam vix modestus perfero, Vix non rebello, vicit at modestia; Nec enim quis unquam provocare Numina Impunis audet. ergo ubi nil pharmaca	
	Prodesse velle sentio, rursus viam	2400
	Aliasque tento artes, sub auras exeo Scipione nixus, alterum exutus pedem Corpusque villis tectus ac laeva manu Sacrum praehendens palmitem, obscuro sono	
	Ter triplicis Hecates ora, ter triplicis Deae Nomen cito, forte quae tum cornibus Iunctis serenas plena complebat faces. Constitit et, atra nube vultum contegens Torvumque spectans, circulos rubro globo	2405
	Visa est secari in plurimos, quales, novum	2410
	Dum recipit orbem fratris amplexum sinens, Sydere recurvo sinuat exilis, at hi, Seu cum supernis sydus elabens plagis Perstringit auras lubrica, at brevi face,	
	Fugere ab oculis dissipatis ignibus;	2415
	Simul ipse tristis protinus retuli gradum.	
Cleo.	Quid inde tandem coniicis.	
Herm.	quod neminem	
	Reor latere, nempe tanta clarius Omina loquuntur, obvolutam scilicet Ac dissipatam clade communi domum.	2420
Eph.	Dii, temperate numen iratum, modum Statuite poenae!	
Herm.	at nunquid Inonem procul Conspicio gemina prole stipatam latus. Iam mens gravatur, iam laborat omina Enunciare iamque me miseret tui,	2425
	Regina, cum, quos nuncia haec dabunt metus, Perpendo mecum; sed nefas tibi haec tegi.	

<Scena tertia>

Hermantis, Ino, Learchus, Melicertes

- Ino Mortalis ergo culpa delicti levis
 Armare Superum vindices in se manus
 Potuit, Avernus debuit, coeli probrum! 2430
 Subsidia opemque non satis valido Iovi
 Astrisque totis iungere, ut inermem virum,
 Nulli rebellem, perditum, iam mortuum
 Valida domaret clade. num tantum nefas
 Aut culpa tanta est, o miser Athamas, tua? 2435
 An prorsus ulla? sed sit aliqua: quid fuit
 Tandem necesse, conglobatis undique
 Superum inferumque viribus, in hominem Deos
 Tanto apparatu ruere; nunquid impetus
 Et arma terrigenum pavent? num dignitas 2440
 Regalis illos terruit? nunquid sciunt,
 Mortalis ausus quam sit in Divos levis?
 At unde meruit tam severa perpeti
 Supplicia! nunquid forte non gravitas rei,
 Sed statuit hominis dignitas poenae modum? 2445
 Hoc moris, inquam, detur, iniustum licet;
 Cur prorsus Athamas plectitur, nunquid cruces
 Sensusque poenae sceleris authorem manent?
 Ego ipsa, si quid sceleris admissum fuit,
 Sum machinatrix, author, inventrix, rea; 2450
 Nec author est nec conscius nec particeps
 Athamantis animus, solus at patitur tamen.
 Quaenam illa tandem est aequitas? ac si quid est
 Desuper iniquum, quis id iniquum deneget?
- Herm. Generosa Cadmi stirps, quid admixtas probris 2455
 Coelo querelas ore contorques fero?
 Quid ludis operam? probra non feriunt Deos,
 Nec usquam ad ipsos evolant convitia;
 Potius retorto reflua in authoris caput
 Eiaculantur impetu. non iam decet 2460
 Irata vobis Numina et iniquis Iovem
 Exasperatum concitare scommatis.
- Ino Miseris - quid? heu me! - non licebit conqueri
 Nec flere casus?
- Herm. licet, at id modestius.
- Ino Ferat id modeste quis, quod est supra modum? 2465
- Herm. Nec forte supra culpam.

- Ino ubi prorsus vacat
Culpa, quid opus poena?
- Herm. nihil; sed integer
Adeone quisquam, culpa quem nulla arguat?
- Ino Nullus, sed omnis culpa non sic plectitur.
- Herm. Divum illud aequo pendet ex arbitrio. 2470
- Ino Leviora nunquid aequitas aptat levi
Supplicia culpae?
- Herm. num putas examine
Peccata nostro ponderare Numina?
Quae gravia quaeve levia soli iudicant,
Qui perspicaci lumine intus abditos 2475
Penetrant recessus mentium; quae sensibus
Nostris patescunt acta, peccantis licet,
Malitia non est, perditae sed quae mala
Consilia mentis pertrahunt ad turpia.
Cui nota tandem haec? quisve non nota aestimet? 2480
An tu, quid intus decoquat, nosti, mali?
Sed fuerit Athamas innocens, an non minus
Duris iniquae casibus sortis subest?
Haec sors bonorum, ut peius angantur malis;
Animo remitti nec tamen fracto decet, 2485
Quin fronte eadem tolleranda, qua bona.
Virtutis etenim rebus adversis decus
Honosque summus perficitur, optatior
Foelicitatis obsecundantis favor
Nil meruit usquam gloriae, laudis nihil; 2490
Id gloriosum, quod fuit acerbum pati.
Proinde iniquos mentis aestus tempera,
Meliora speres, adfuturi spes boni
Acerbitatem sedat urgentis mali.
- Ino Quid speret hic, qui cuncta desperat?
- Herm. sibi 2495
Nihil affuturum durius quam, quod timet.
- Ino Sed cuncta timeo pessima.
- Herm. in nostris malis
Cautela summa haec; sic, quod adversum advenit,
Minore sensu pungit.
- Ino optato quidem
Rebus futuris praevides; at enim - malum! -, 2500
Quid illa praesens sublevant?
- Herm. prorsus nihil,
Nisi quia doloris detahas ac spem induas.
- Ino Quam spem?

- Herm. futurum post tot aerumnas bonum
Ac, quae perhorres, posse successu mala
Optatiore mitius succedere. 2505
- Ino Consilia sane recta, si foelix forem,
Facilia prorsus monita suadenti; sed heu,
Effare? quae spes quaeve cogitatio
Boni subire posset in mediis malis?
Tristicia nunquid gaudium, plausum dolor 2510
Risumque fletus suadet? his facile est iter
Ac vela navis quo libet convertere,
Quos flatus alio non trahit violentior,
At eo sequendum, quo furens aestus rapit.
At tu, unde discam, quid spei impendat mihi, 2515
Quid ominentur astra, quid iubeant tua
Sperare, dic o, carmina, audirem libens.
- Herm. Spes omnis inde cassa.
- Ino quod fieri negat,
Quid tandem inepte praecipis? suades mihi
Speranda, desperata quae penitus vides; 2520
Renuente coelo quid boni sperem? sed o,
Exclamat Athamas, audio vocem viri.

<Scena quarta>

Athamas, Pheretes, Ephialtes, Euriclus, Cleomachus, Ino cum liberis

- Ath. O me!
Eph. quid horres?
Ath. monstra!
Eur. quid pavidus fugis?
Ath. Late obsidentur omnia inferna lue.
Huc advolate, ruite in auxilium, viri. 2525
Eur. Adstamus. aude, nil verere; tutus es.
Ath. Dilaceror hydris, facibus infernis cremor!
Me, me! vetate! pereor! rapior!
- Pher. coniugem
Natosque non nosti?
- Ath. abstrahatis mitius?
Nihil reluctor! parcite, Eumenides! sequor! 2530
Parcite flagellis!
- Cleo. Tartarus procul hinc abest,
Nil hic timendum.

- Ath. pareo, abscedant faces.
- Pher. Fugere dirae, recipe te: iam liber est
Locus hic pavore. coniugem agnoscis tuam?
Cernis Learchum, cui praeit frater comes? 2535
- Ath. Vbi nati? adeste!
- Eph. genibus, en, prostant tuis.
- Ino Agnosce, genitor, ac fove prolem tuam.
- Ath. Ades, ades; hanc citatus exanima feram.
Praetende ferrum, spiculum elibra, armiger.
Arcum sagittis instrue, age, clavam expedi, 2540
I, sequere pernix; effugit manum tuam.
I, sequere, adurge; praeda concidat tibi.
- Eur. Regina, quaeso, parce non sano satis
Homini, furori cede; iniquo tempori
Aptare, tete hinc surripe, dum cesset furor. 2545
Habet, profugit saucia in specus suos.
Abblandienti, genitor, arride tuae proli.
- Ath. Et ubi proles?
- Eur. cernis adstantem tibi?
- Mel. Huc, huc ad nos demitte tuos,
Genitor, vultus, huc flecte, parens, 2550
Dulcis amicos oculi intuitus!
Nos tua proles generisque tui
Bina propago, nos afflictas
Spes reliqua domus genibus strati
Patrii specimen petimus studii, 2555
In nosque tui pignus amoris.
- Lear. Si quid veteris superest animi,
Si qua tuorum te cura manet
Puerum, nostris, pater, indulge
Candidiori vultu votis! 2560
Precibus nostris adscribe, parens,
Luctumque tuae comprime prolis!
- Ath. Adstate, nostri reliqua pars solatii;
Adstate, nati, surgite, amplexus date, 2565
Cohibete fletus, expedite citi oscula,
Vtrinque collo manibus impliciti meo
Onerate patrem, pondus optatum meis
Aptate brachiis. iuris o quantum tenet
Puer in parentem! quam potens suavium 2570
Et tenera prolis blanditia! quid non potest
Abblandientis prolis arrisus patri!
Connubia certe prospera? o foelix torus,
Quem tanta sequitur liberum foelicitas!
At at, quid audio? allatrantes personat
Drias molossos, montium reboant iuga. 2575

	Ite, o ministri, quo sagax umber vocat, Praeripite voces, praepetes obvertite Ferae pedes, praeoccupate tramitum Aditus, fugacem fallite occursum feram. At vos sequaci voce sectantum procul Animate cursus, dirigite odores canum, Effugia praedae ac unguulae vestigia Docete hilarem. tu manum telo instrue; En, en, leanae geminus huc ad nos ruit Foetus, praehensae sentiet clavae impetum. Nondum feroces exuit praecordiis Moribundus animos, irritas tentat minas.	2580
Eph.	Heu, parce, genitor; natus hic cadit tuus?	
Ath.	Effugit alter; hunc praehendamus fuga. Me, me adiuvate: cumulet hic victoriam, Nostra haec secundo praeda sit spolio incluta.	2590
Pher.	Nisi retinemus, impias parens manus Maculabit iterum prolis alterius nece. Mecum insequentem, si vacat, compescite.	

<Scena quinta>

Hebas, Tithene, <postea Ino, Melicertes>

Heb.	Hancine cruentae quispiam credat manus Stragem paternae? potuit hos animos parens Induere? nunquid saevit in catulos leo, Aut aper in apros ora dstringit sua? Quae tigris - heu me! - sic cruentis unguibus Dilacerat uterum? caetera immites ferae, Hac parte mites, foetibus parcunt suis. Homine nescit, quam ferae immanes sciunt Humanitatem? num parens in liberos Aetate teneros, innocentes ausus est, Quod nullus hostis audeat? dubitat fides Incerta, et anceps haereo, num vera sint, Quae me vidente gessit immitis parens. Parensne tantum valuit in prolem nefas?	2595
Tith.	Quod ante matri fas fuit, patri nefas Id computabis? nunquid Inonis scelus Phryxumque et Hellen perdidit? si par pari Referre fas est, iam suum Inoni scelus	2600 2605 2610

Reposuit Athamas scelere. scelus, inquam, tuum,
 Immanis Ino! iamne detestabilis
 Crudelitatis est abunde? iamne atrox 2615
 Tuo furori credis indultum satis?
 Satisne caedis ac cruoris? si satis,
 Tibi gratulare, fruire deliciis tuis;
 Iam pasce mentem, pasce iam diram sitim,
 Saturare caede et sanuine! iam festos dies 2620
 Laetosque celebra, iam Diis grates age:
 Succende thura; nam tui facta es rea
 Composque voti, cessit ex sententia,
 Crudelis ante quicquid optati fuit.
 Quid dira frendes? nunquid hoc ferre est grave, 2625
 Quod perpetrasti? praemium hoc sceleris tui est,
 Haec digna merces; fruire, quid disrumperis?
 Quid ora torques? quid revolvis lumine
 Oculos furenti? quid malorum conscio
 Pallore terra frons minatur? nunquid hunc 2630
 Mater necandum destinas, cui patrius
 Furor pepercit? perge, coepta perfice;
 Adeo nefandi nil supersit sanguinis,
 Nulla nota restet generis. aude, nil veto,
 Recedo, ne quid mea vetet praesentia; 2635
 Ac ne quid obstem, libero fruire loco.
 Ino Heu, nate foelix, fata quem tantis malis
 Incogitato et innocenti funere
 Voluere functum! sors tua, o foelix, licet
 Lugenda, coniux, cui mali in mediis malis 2640
 Sensum abstulere Numina! ast heu, me quibus
 Ego ipsa titulis praedicem? quam me vocem?
 Nunquid beatam, propria cui parcant mala?
 Quam sors iniqua nesciat, quam nil gravet?
 Vtinam malorum premeret infoelix caput 2645
 Onus omne nostrum! miseriae non sic forem
 Scopus alienae, vestra non ferrem mala.
 Quotquot dolere liberum non est; sed heu,
 Hoc saevior fortuna, quo clementior.
 Quemque tibi, nate, quem tibi coniux negat, 2650
 Sensum malorum, hunc integrum in me contulit;
 Nec enim dolet, quem plura conficiunt mala,
 Sed quem doloris miseret alieni. tui
 Me miseret, Athama, miseret eversae domus,
 Miseranda specto cuncta; nec tamen hoc mei 2655
 Caput est doloris: illud est, quod hostibus
 Ludenda nostris pateo. quid dico hostibus?
 Domesticis foedisque mancipiis. siles,

Tremende quassator poli? nondum tibi
 Satis piata videor? haud satis ultus es? 2660
 At nunquid et te forte delectant mea
 Supplicia? nunquid protrahis nostros dies,
 Vt protrahatur poena? praeripiam tua
 Consilia, vitam protrahis; ego hanc contraham,
 Mortem petitam denegas, mortem petam. 2665
 Nunquid vetabis? ne quidem vivam, potes;
 Ne moriar, haud potes. vacat cuivis mori,
 Cui vita gravis est, vel Diis nolentibus.
 Est flexuoso silice procurvans caput
 Minax ruinae petra, cui pandus iugo 2670
 Vertex reclini praeripit noctem et diem,
 Infra profundo vortici, hinc saltus datur
 Facilis in undas, inde reliquias tori
 Miserumque corpus, hoc rotans baratro obruam.
 Hac arte vincam, victa iam toties malis. 2675
 Illuc ruamus, dum favet coeptis furor.
 Comitare, nate, praevios matris gradus.

Chorus

Ch. Nescius culpae fugiensque crimen
 Criminis poenas tulit innocentes,
 Quosque non laesit Superum furores, 2680
 Sensit infestos Athamas Stygemque
 Vidit et ternas Herebi sorores
 Corde conceptum scelus atque toto
 Orbe spargentes Phlegetonta, tunc cum
 Horridae nigra face verberumque 2685
 Anguibus diris, scelus expiantes
 Impium Inonis, potuere crudi
 Immemor pectus patris asperare
 In necem nati, genitor sororis
 Vt necem fratris nece vindicaret, 2690
 Funus ac Helles genitricis arte
 Ac novercali rabie patratum,
 Versus infernis pater in furorem
 Sibilis, saevo faceret Learchi
 Funere maius. 2695
 Egit hoc nolens pater innocensque,
 Quod volens mater scelus inchoavit.
 At volens mater sibi computatum

Crimen et poenas feret utriusque;
 Nam sui vindex simul et mariti 2700
 Occidens una sibi coniugique
 Morte licebit.

Hebas

Heb. Iam, iam pleno flumine largos
 Vacat, o Thebe, fundere fletus;
 Impendentis timor aerumnae 2705
 Gelido stringens corda pavore,
 Ante haec parens quas continuis
 Lachrymis laxas solvat habenas!
 Flebile quicquid, quicquid acerbum
 Ante timendum fuerat nobis, 2710
 Sortis iniquae peperere vices.
 Perit Phryxus peritque Helle,
 Ille a terris exul patriis
 Aliena tenens novus hospes loca
 Colchidis auras spirat iniquas; 2715
 Haec vorticibus mersa profundis
 Fluitat monstros esca marinis.
 Compensavit clade hanc genitor
 Alia cladem, misit ad imas
 Herebi valles immaturam 2720
 Iunioris adhuc animam saeva
 Morte Learchi.
 Dedit at finem, quae principium
 Tam funestis dederat cladibus
 Lugubris Ino, multoque prius 2725
 Super Argolicas crimine nuptas
 Pelopisque super crudele genus
 Nobilitatam propria vitam
 Nece finivit, sed non sola,
 Ne forte satis sola occumbens 2730
 Lugenda foret; nam Melicertem,
 Quae reliquiae fuerant cladis,
 In perniciem ferrea secum
 Traxit eandem, quodque furori
 Et saevitiae deerat solum - 2735
 Nempe ut nondum sanguine tinctam
 Dextram tingeret -, illud moriens
 Saeva peregit, scilicet alta
 Puerum in praeceps de rupe datum
 Ac per acutas scissum in partes 2740

Silicis petras, atro tandem
Maris absorbtum gurgite. vidit,
Vidit et, ipsum simili lapsu
Furibunda sequens, superis corpus
Indignum auris animamque simul
Condidit orco.

2745

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Erstausgabe von 1621 in einer z. T. nurmehr sehr schwer lesbaren Reproduktion der Bibliothèque Nationale, Paris, und einem Digitalisat der Newberry Library, Chicago. Zusätzlich zu den vorgegebenen Akten wurde versuchsweise eine Einteilung in Szenen vorgenommen und die Darstellernennung erweitert; dies ist aber jeweils als Ergänzung markiert.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *ss* für *ß*, *aether* für *aeter* (1361, 2298), *authoris* für *autoris* (2459), *causa* für *caussa* (167, 1103, 1197, 1227), *-cunque* für *-cumque* (834, 944; umgekehrt 1042 *cumque* für *cunque*), *-oe-* für *-ae-* (39/50/57/76/322/1471/1475/1576/2093/2247 *coel-*, 1310 *coepta*, 104/1534 *foelicitatem/foelix*, 813 *moeror*, 523/619 *poena*, 570 *poenitentia*; aber 1083/2149 *caec-* für *coec-* wie an sechs weiteren Stellen), *littus* für *litus* (560), *nuncium* für *nuntium* (968), *Pheretes* für *Pherethes* (v1735), *Phryx-* für *Phrix-* (360), *praemium* für *premium* (2626), *quenquam* für *quemquam* (927), *questibus* für *quaestibus* (1150), *quicquid* für *quidquid* (37, 130, 220, 1009, 1011, 2115, 2145, 2254, 2297, auch 2006 *quicquam*), *quoad* für *quo-ad* (623, 1049), *saeculis* für *seculis* (1077), *sequit-* für *-secut-* (1434), *sydus* für *sidus* (312, 980, 1460, 1481, 2207, 2278, 2413), *Thebe* für *Tebe* (2704), *Thyestes* für *Thiestes* (2065), *tigris* für *tygris* (1164, 2599), *Tithene* für *Tythene/Titene* (1384/v2595), *tollerare* für *tolerare* (196), *tristicia* für *tristitia* (2510); belassen aber wurde *circonstant* und *reliqu-* (Sg.) neben *reliqu-* (Pl.).

Groß geschrieben wurde: *Deus/Dea* (1, 6, 81, 149, 1328, 1347, 1480, 1546, 1553, 1733, 1792, 1810, 1865, 1978, 2043, 2274, 2405, 2438, 2457, 2621, 2668), *Divus* (56, 819, 1340, 1543, 1800, 1805, 2395, 2442), *Numen* (33, 82, 388, 677, 1109, 1473, 1551, 1563, 2192, 2398, 2461, 2473, 2641), *Tartarus* (60, 1740, 2017, 2037, 2051, 2135), *Styx* (537, 1415, 1428, 1977, 2681 und 2134 statt *stigis*), *Superi* (305, 676, 1478, 2137, 2234, 2429, 2680) sowie A1 *Iunonis*, 78 *Ditis*, 95 *Parca*, 162 *Charibdis*, 188 *Argolica*, 310 *Venere*, 310 *Saturno*, 367 *Syren*, 429 *Atticis*, 537 *Avernales*, 650 *Aeoliae*, 746 *Thessalica*, 1055 *Musarum*, 1161 *Britanni*, 1423 *Bacchus*, 1494 *Tonantem*, 1899 *Delii*, 2056 *Graium*, 2244 *Diti*, 2365 *Lycio*, 2535 *Learchum*, 2682 *Herebi*, 2684 *Phlegetonta*, 2694 *Learchi*, 2725 *Argolicas*; klein dagegen: 110 *ignes*, 569 *oferet*, 595 *tigris*, 662 *monarcha*, 754 *umbra*, 812 *vix*, 898 *concurso*, 1164 *tigris*, 1429 *illud*, 1547 *sorte*, 1672 *domini*, 1891 *salò*, 1937 *virum*, 1964 *heu*, 2378 *monstrum*, 2745 *animam*.

Im Darstellerverzeichnis wurde *Chorus* ergänzt; bei der Darstellernennung wurde dem Auftritt nach geordnet statt 1,3 *AP* mit Ergänzung, 2,2 *IXAEC* mit Ergänzung, 2,3 *HCE*, 3,3 *ET*, 3,4 *IX-AT*, 4,3 *HAX*, 4,4 *PH*, 4,5 *AEH* mit Ergänzung, 5,2 *HEC*, 5,3 *ILMH*, 5,5 *HT* mit Ergänzung von v2609 *IM*.

141	<i>Athamasne</i> statt <i>Athamas ne</i>
401	<i>occidatne</i> statt <i>occidat-ne</i>
689	<i>quod</i> statt <i>qnod</i>
812	<i>languidum</i> statt <i>lanquidum</i>
841	<i>docent</i> statt <i>docet</i>
900	<i>cuinam</i> statt <i>cui nam</i>
923	<i>antehac</i> statt <i>ante-hac</i>
1032	<i>eheu</i> statt <i>ehu</i>
1467	<i>supplex</i> statt <i>suplex</i>
1469	<i>aethera</i> statt <i>athera</i>
1648	<i>differens</i> statt <i>diferens</i>
1746	<i>nec quid</i> statt <i>necquid</i>
1825	<i>praeteritur</i> statt <i>preteritur</i>
1842	<i>ceu</i> statt <i>seu</i>
1864	<i>opacat</i> statt <i>o pacat</i>
1919	<i>succussu</i> statt <i>succusu</i>
1956	<i>nunc</i> statt <i>nnnc</i>
1965	<i>sicne</i> statt <i>sic ne</i>
1993	<i>nondum</i> statt <i>nundum</i>
2007a	in den Korrekturanmerkungen gestrichen („del. est“)
2027	<i>iamne</i> statt <i>iam ne</i>
2067	<i>conticescis</i> statt <i>conticessis</i>
2583	<i>hilarem</i> statt <i>hilacem</i>

‘Komma’ gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 3, 22, 55, 67, 83, 107, 108, 153, 179, 199, 210, 214, 271, 278, 284, 287, 289, 292, 302, 306, 310, 312, 317, 321, 323, 327, 366, 387, 390, 401, 411, 421, 430, 437, 442, 445, 455, 469, 502, 503, 511,

537, 539, 551, 567, 577, 601, 607, 616, 645, 655, 674, 704, 706, 740, 743, 747, 749, 753, 781, 797, 802, 819, 852, 863, 867, 873, 876, 888, 906, 907, 913, 923, 927, 933, 966, 972, 989, 995, 1011, 1016, 1022, 1034, 1051, 1063, 1072, 1085, 1087, 1104, 1153, 1160, 1167, 1192, 1194, 1196, 1198, 1201, 1203, 1206, 1211, 1215, 1227, 1269, 1272, 1285, 1329, 1335, 1364, 1395, 1418, 1428, 1464, 1467, 1468, 1471, 1516, 1518, 1526, 1529, 1548, 1553, 1559, 1562, 1587, 1598, 1599, 1608, 1609, 1614, 1616, 1616, 1623, 1628, 1647, 1649, 1653, 1675, 1687, 1693, 1696, 1715, 1723, 1745, 1746, 1759, 1766, 1769, 1800, 1804, 1816, 1824, 1840, 1842, 1849, 1910, 1912, 1920, 1922, 1946, 1958, 1960, 1971, 1977, 1979, 1982, 1993, 2009, 2018, 2035, 2037, 2042, 2046, 2072, 2073, 2120, 2198, 2207, 2211, 2218, 2219, 2236, 2244, 2268, 2271, 2274, 2283, 2287, 2308, 2317, 2320, 2328, 2342, 2346, 2352, 2360, 2363, 2364, 2386, 2390, 2390, 2402, 2403, 2408, 2425, 2451, 2451, 2463, 2502, 2508, 2510, 2569, 2582, 2658, 2739, 2743, 2745

'Komma' gestrichen nach: 32 *connubiali*, 32 *risit*, 139 *nec*, 228 *potius*, 394 *bombo*, 432 *apices*, 500 *quiete*, 636 *infando*, 675 *sed*, 784 *praecordia*, 827 *neces*, 914 *ponderi*, 984 *animo*, 1014 *inustas*, 1028 *viribus*, 1064 *proles*, 1254 *propagine*, 1316 *menti*, 1362 *orci*, 1368 *melius*, 1445 *tecum*, 1476 *causa*, 1512 *suae*, 1524 *Athamantea*, 1545 *singulari*, 1569 *tantum*, 1574 *furere*, 1585 *o*, 1644 *peius*, 1662 *mea*, 1689 *quas*, 1718 *truciore*, 1836 *aufugit*, 1842 *umber*, 1876 *attonitos*, 1906 *curvo*, 2038 *infernae*, 2070 *indue*, 2074 *communi*, 2153 *ebrias*, 2202 *incendia*, 2220 *iucunditate*, 2378 *profero*, 2409 *globo*, 2463 *miseris*, 2500 *enim*, 2509 *boni*, 2580 *voce*, 2599 *tigris*, 2604 *innocentes*, 2612 *scelus*, 2735 *solum*

'Komma' ergänzt: A1 *Semele*, A4, A4, A5 *Semelem*, A5 *pellicem*, A6 *posset*, A7 *interea*, A16 *Athamas*, A16 *filius*, A17 *Inone*, A19, A22, A26 *liberorum*, A28 *reliquam*, 23, 23, 24, 25 *ut*, 27, 29, 34, 36, 37, 38, 42, 65, 66, 82 *pigebit*, 86, 97, 97, 101, 115, 116, 127, 131, 131, 145 *gemitur*, 145 *manens*, 146, 146, 150, 152, 160 *proditur*, 161, 165, 170 *eheu*, 174 *pati*, 181, 181, 190, 190, 191, 193, 197, 200, 200, 204 *rude*, 205, 206 *dignoscere*, 221 *maturius*, 228 *mali*, 240, 242, 250, 250, 252 *credas*, 252 *humana*, 252 *reor*, 258, 258, 259 *Idalia*, 266, 273, 273, 296 *an*, 299, 299, 302, 304, 314, 319 *facile*, 319 *poli*, 332, 333, 334, 336, 336, 344, 357, 359, 361, 365, 374, 374, 379, 379, 381, 381, 382 *times*, 407, 410, 426, 427 *fugit*, 435, 446, 451, 458, 486 *pergamus*, 496, 514, 519, 523, 523, 523, 527, 528, 529, 530 *nunc*, 540, 559, 560, 574, 582, 593, 601, 602 *tuetur*, 604, 616, 616, 632 *sapere*, 644, 644, 650 *domus*, 661, 662, 666, 666, 670, 671, 685 *quaeso*, 688 *indue*, 692, 693, 695, 701, 702, 715, 720 *illud*, 720 *unicum*, 723, 728, 728, 730 *Deos*, 740, 745, 745, 746, 753, 756, 757 *continetur*, 764, 767, 768, 800, 800, 816, 817, 853, 862, 864, 864, 865, 866, 867, 868, 869, 870, 877 *ac*, 880, 883, 900, 900, 909, 909, 917, 920 *genus*, 928 *atque*, 932, 961, 965 *animus*, 975, 983, 984, 985, 985, 990, 993, 1004 *humile*, 1016, 1019, 1019, 1021, 1023 *ac*, 1026, 1026, 1032, 1033, 1033, 1036 *vacat*, 1037 *heu*, 1041, 1042 *negatur*, 1043, 1049 *quoad*, 1054, 1059 *gens*, 1059 *inquam*, 1068 *signa*, 1068 *decus*, 1070, 1099 *te*, 1100, 1100, 1102, 1104, 1104, 1106, 1107, 1107, 1107, 1107, 1109, 1109, 1110, 1115 *durius*, 1116, 1123, 1124, 1125 *sobole*, 1127, 1127, 1130, 1133, 1136, 1146, 1151 *precor*, 1156, 1156, 1165 *parens*, 1165 *inquam*, 1172 *premeris*, 1200, 1210 *focis*, 1213, 1213, 1223, 1223, 1224, 1226, 1228, 1235, 1239 *vera*, 1239 *nate*, 1240, 1241 *querar*, 1243, 1243, 1244 *comitem*, 1245, 1245, 1246, 1247 *Phryxus*, 1247 *heu*, 1247 *Athamas*, 1248, 1248, 1262, 1265, 1270, 1280, 1281, 1282, 1282, 1285, 1285, 1292 *noceat*, 1297, 1302, 1302, 1303, 1303, 1304, 1308, 1313, 1315, 1323, 1332, 1332, 1344, 1348 *plaude*, 1370 *heu*, 1372 *heu*, 1382, 1384 *heu*, 1384 *tu*, 1384 *Tithene*, 1385, 1390, 1396, 1396, 1397, 1397, 1402, 1402, 1406, 1408, 1408, 1410, 1412, 1413 *obloquaris*, 1414, 1414, 1419 *funus*, 1419 *Helle*, 1420, 1420, 1420, 1427, 1427, 1431, 1431, 1449 *redi*, 1455 *ducem*, 1457 *desinet*, 1465 *ac*, 1465 *bono*, 1466, 1487, 1494, 1516 *et*, 1516 *nefas*, 1521, 1527, 1533, 1537, 1537, 1539, 1540, 1544, 1552 *decet*, 1556 *solum*, 1558, 1561, 1564, 1566 *agitur*, 1566 *inquam*, 1569, 1569, 1579 *grates*, 1579 *frater*, 1582, 1592, 1592, 1604, 1604, 1617, 1627, 1634, 1637 *paucula*, 1650, 1652, 1654 *quisque*, 1665, 1674, 1676, 1676, 1687, 1687, 1688, 1690, 1703, 1705, 1709, 1711 *dabunt*, 1716, 1717, 1719, 1725, 1730, 1733, 1733, 1735 *negatum*, 1735 *precaris*, 1737, 1737, 1738, 1738, 1740, 1742, 1742, 1743, 1744, 1746, 1746, 1753 *satis*, 1754 *specto*, 1757, 1758, 1759, 1760, 1760, 1765, 1769, 1771, 1774, 1775, 1781, 1783, 1804, 1805, 1806, 1812 *quaeso*, 1817, 1822, 1835, 1843, 1855 *et*, 1855 *via*, 1883 *requiris*, 1898 *ternus*, 1900, 1918, 1919, 1928, 1928, 1931, 1934, 1934, 1936 *visus*, 1937, 1938, 1938, 1942, 1943, 1943, 1946 *iam*, 1948 *en*, 1949, 1949, 1951, 1955, 1955, 1955, 1962, 1965, 1969, 1979, 1986, 1987, 1996, 1997 *me*, 2000, 2000, 2002, 2002, 2002, 2007, 2012 *dabitur*, 2013, 2017, 2020 *sed*, 2020 *decet*, 2022, 2022, 2023, 2024, 2029 *flagellis*, 2029 *perdite*, 2040, 2043, 2050, 2064, 2075, 2076, 2078, 2078, 2095, 2099, 2101, 2104, 2105, 2106, 2106, 2108, 2125, 2125, 2128, 2135, 2140, 2144, 2146, 2161, 2173, 2178, 2182, 2186 *Athamantea*, 2187, 2188, 2211, 2216, 2217, 2217, 2218, 2219, 2223 *timeoque*, 2235, 2238, 2252, 2254, 2259, 2260, 2262, 2262, 2265, 2265, 2269, 2272, 2276, 2285 *sed*, 2285 *ah*, 2288, 2290 *medelam*, 2291, 2297, 2300 *attentus*, 2300 *decet*, 2301 *sed*, 2301 *suscipit*, 2312 *omnia*, 2322, 2323, 2323, 2346, 2376, 2380, 2382 *consulo*, 2408, 2414 *lubrica*, 2421 *Dii*, 2425, 2426 *cum*, 2426 *metus*, 2435 *Athamas*, 2437, 2446 *moris*, 2446 *inquam*, 2474, 2481, 2481, 2481, 2486, 2491, 2495, 2496, 2498 *advenit*, 2500, 2504, 2504, 2512, 2514, 2515 *discam*, 2518, 2525, 2525, 2528, 2530, 2536, 2536, 2537, 2537, 2539 *elibra*, 2543, 2543, 2545 *surripe*, 2547, 2547, 2549, 2549, 2550 *genitor*, 2550 *flecte*, 2550 *parens*, 2559, 2559, 2561 *adscribere*, 2563, 2564 *adstate*, 2576 *ite*, 2576 *ministri*, 2584, 2584, 2588, 2588,

- 2590 *me*, 2602, 2606 *sint*, 2613, 2613, 2613, 2617, 2623 *sententia*, 2625, 2637 *heu*, 2640 *luga*, 2648, 2649, 2650 *tibi*, 2652 *dolet*, 2654 *miseret*, 2656, 2658, 2662, 2667, 2667, 2676, 2677, 2680, 2703, 2704, 2704, 2706, 2709, 2710, 2723, 2731, 2732, 2737, 2743
- 'Komma' statt 'Punkt': 1501, 1971, 2141
- 'Komma' statt 'Doppelpunkt': 71, 114, 158, 211, 212, 216, 565, 591, 675, 896, 1460, 1556
deceat, 1722, 2088, 2506 *forem*, 2621
- 'Komma' statt 'Strichpunkt': 1049
- 'Komma' statt 'Ausrufezeichen': 1330
- 'Punkt' gestrichen: 759 *huiusmodi*, 971 *mihi*, 1534 *dominatio*, 1798 *contumacia*
- 'Punkt' ergänzt: 100, 240, 676, 690 *anxius*, 713, v770, 849, 850, 851 *tamen*, 891, 930, 1389
improbas, 1402, 1416 *vides*, 1429 ..., 1441 *odia*, 1568, 1731, 1837, 1888, 1924, 2001, 2196,
2298, 2538, 2547, 2647, 2717, 2722
- 'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 80, 81, 114, 169, 210, 217, 236, 244, 262, 451, 493, 517, 527, 529,
680 *poenas*, 767, 827, 958, 964, 1044, 1302, 1325, 1466, 1502, 1520, 1554, 1615, 1653,
1656, 1658, 1663 *insana*, 1726, 1748, 1768, 1785, 1811, 1913, 1944, 1994, 2033, 2085,
2111, 2199, 2222, 2329, 2452, 2479, 2532 *faces*, 2674, 2675, 2676
- 'Punkt' statt 'Strichpunkt': 89, 473, 477, 835, 1035
- 'Punkt' statt 'Komma': A3 *est*, A9, 71, 155, 226, 229, 346, 358, 454, 455, 468, 480, 486, 492,
512, 518, 526, 532, 614, 687, 694 *timeo*, 711 *ille*, 740, 841, 971, 1720, 1180, 1212, 1240,
1242, 1246, 1304, 1323, 1352, 1391 *vocas*, 1444, 1541, 1557, 1565, 1567, 1573, 1600, 1612,
1632, 1643, 1650, 1686, 1707, 1730, 1733, 1737, 1754, 1799, 1835, 1843, 1854, 1866, 1869,
1871, 1875, 1879, 1895, 1905, 1911, 1917, 1921, 1928, 1936, 1938 *precor*, 1941, 1942,
1947, 1969, 2004, 2012, 2015, 2063, 2066, 2139, 2215, 2228, 2246, 2249, 2259, 2274, 2280,
2292, 2341, 2391, 2394, 2399, 2407, 2460, 2466, 2486, 2491, 2526 *adstamus*, 2541, 2593,
2601, 2634, 2649, 2653, 2657, 2667
- 'Strichpunkt' ergänzt: A21, 1153, 1565, 1761, 1783, 1841, 2589
- 'Strichpunkt' statt 'Punkt': 993, 1001, 2227
- 'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 28, 34, 41, 88, 114, 118, 142, 160, 208, 213, 222, 225, 256,
313, 341, 489, 505, 541, 586, 605, 661, 664, 738, 754, 775, 789, 806, 813, 828, 868, 934,
940, 948, 950, 957, 960, 978, 981, 1088, 1094, 1124, 1313, 1462, 1493, 1496, 1644, 1682,
1778, 1797, 1847, 1946, 2053, 2119, 2149, 2180, 2193, 2230, 2237, 2362, 2467, 2490, 2544,
2618, 2622, 2635, 2651, 2664, 2715
- 'Strichpunkt' statt 'Komma': A4, A27, 65, 79, 99, 123, 129, 135, 147, 156, 168, 171, 227, 238,
241, 246, 260, 280, 290, 318, 322, 335, 337, 357, 395, 422, 448, 456, 460, 470, 476, 479,
482, 501, 516, 525, 530, 536, 599, 620, 626, 646, 685, 689, 725, 736, 767, 783, 826, 854,
884, 894, 917, 921, 1033, 1036, 1066, 1111, 1179, 1239, 1241, 1243, 1245, 1289, 1297,
1303, 1310, 1315, 1324, 1341, 1348, 1371, 1382, 1397, 1445, 1456, 1480, 1514, 1531, 1538,
1542, 1552, 1564, 1577, 1579, 1597, 1603, 1617, 1634, 1638, 1651, 1655, 1670, 1675, 1688,
1697, 1723, 1728, 1732, 1751, 1755, 1757, 1772, 1781, 1809, 1813, 1828, 1831, 1835, 1856,
1882, 1887, 1890, 1903, 1910, 1914, 1918, 1934, 1937, 1939, 1942, 1943, 1951, 1957, 1961,
1972, 1989, 1994, 1996, 1998, 2002, 2013, 2016, 2023, 2028, 2060, 2066, 2069, 2093, 2134,
2170, 2189, 2212, 2216, 2247, 2252, 2256, 2265, 2272, 2278, 2288, 2293, 2302, 2304, 2323,
2327, 2331, 2350, 2380, 2389, 2393, 2397, 2415, 2427, 2439, 2441, 2446, 2450, 2458, 2476,
2484, 2498, 2500, 2507, 2520, 2526, 2538, 2541, 2542, 2563, 2583, 2588, 2627, 2632, 2648,
2655, 2666, 2699, 2704, 2731
- 'Doppelpunkt' gestrichen: 139 *heu*, 1947 *tempore*
- 'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 799
- 'Doppelpunkt' statt 'Komma': 45, 80, 722, 745, 895, 1247, 1362, 1385, 2324, 2332, 2590, 2656
- 'Fragezeichen' gestrichen: 2077 *devio*
- 'Fragezeichen' ergänzt: 173 *doles*
- 'Fragezeichen' statt 'Punkt': 1766, 2129, 2626
- 'Fragezeichen' statt 'Doppelpunkt': 667
- 'Fragezeichen' statt 'Strichpunkt': 2456
- 'Fragezeichen' statt 'Komma': 2632
- 'Fragezeichen' statt 'Ausrufezeichen': 2036, 2608

'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 1331

'Ausrufezeichen' statt 'Komma': 1442

'Ausrufezeichen' statt 'Fragezeichen': 391, 1937, 2560, 2646

'Anführungszeichen' ergänzt: 453ff., 462ff., 468ff., 485f., 492f., 513f., 516, 517ff., 800, 1883f., 1898ff.

'Klammern' gestrichen um: 36f. *siquidem ... permiseras*, 97 *miseri*, 99f. *suus ... modus*, 728 *si ... potest*, 983f. *vita ... concedit*, 1026 *o Ino*, 1123 *quod ... avertat*, 1322 *malum*, 1486f. *ipsam ... dies*, 1539f. *si ... gratiae*, 1742 *nam ... mei*, 2736f. *nempe ... tingeret*

'Gedankenstrich(e)' ergänzt: 32, 37, 97, 139, 228, 675, 770, 837, 1020f., 1123, 1316, 1322, 1486f., 1742, 2220f., 2378, 2463, 2500, 2599, 2735ff.